

## CXIX.

Primò enim prouidendum ne vitiosorum humorum prouentus in corpore colligatur, quod conueniente victus ratione, qua bonus & laudabilis sanguis procreatur, consequemur.

## CXX.

Cumq; etiam in optima victus ratione, propter interiorum viscerum imbecillitatem, superflui quidam humores coaceruentur, illi certis temporū interuallis, præsertim vere et autumno, vel phlebotomia, vel purgante aliquo medicamento sunt euacuandi, priusquam vel quantitate vel qualitate sua naturam ad expulsionem extimulent. Ad hæc partes tam mittentes, quam recipientes medicamentis præscriptis sunt corroborandæ.

## CXXI.

Quod si præsidia iam dicta non suffecerint, cauteria utriq; brachio quatuor digitis supra cubitum in parte carnosa, vel pedibus quatuor digitis infra genu, pro diuersitate articularum affectorum, sunt adinuenda. Quemadmodum enim in curatione cauteria ipsis articulis affectis, deriuationis: sic in præseruatione partibus extremis & remotioribus, reuulsionis gratia adhibentur.

## CXXII.

Hæc verò non nisi benè prius vacuato corpore administrari, locaq; diu aperta teneri debent, vt superfluitates inde commodè expurgari possint. Quandoquidem assequemur si singulis diebus loco inusto cicer, vel pisum, superposito hederæ folio, imponamus & obligemus. Alij ciceris loco pilulam ex cera formatam imponunt.



## METHODICA

Phthisis curatio.

## CAUSA FORMALIS.

## THEMA I.

**Q**uod dicitur à Symptomate, videlicet dicitur & Φθίσις, id est diminuerè Græcis dicta est, quia totum corpus paulatim consumit atq; extenuat. Latine eadem ratione tabem vocant. Germani die Schwindsucht.

## I I.

Vocabulum Φθίσις seu tabis, vt author libri definitionum medicarum, & Galenus commentario secundo in librum primum Epidemiorum Hippocratis, sectione decima tertia, docent, duobus modis vsurpatur, primò generatim pro qualibet, vel totius corporis, vel alicuius partis extenuatione, quam etiam ἀποφθίσις, id est, marcorem vocant: Secundo speciatim pro consumptione corporis illa, que vlcera pulmonum consequitur, atq; hanc Græci, & præsertim Athenienses, proprio vocabulo Φθίσις appellant, vt tradit Galenus commentario decimi sexti aphorismi Hippocratis sectionis septima.


## III.

Rursus Φθίσις speciatim sic dicta, medicis aliquando symptoma, aliquan-




MC















1001  
M E T H O D I C A E  
A R T H R I T I D I S E T

P H T H I S I S C V R A T I O N E S , C E R -  
T I S T H E S I B V S C O M P R A H E N S A .

Q V I B V S A D D I T A E S T  
D I S P V T A T I O D E S A L I V A ,  
s p u t o & m u c o ,

A V T O R E

I A C O B O S E I D E L I O  
*Philosophiae & Medicinae Doctore.*



*Bardi Pomerania,*  
In Officina Principis, Anno  
c l o . I o . x c .



M E T H O D I C A E  
A R T H R I T I D I S

PATENTIS CUM FORTISSIMO  
SIS TENSIS COMMERCE

DISPENSATIONE DE SALVA  
1878, LXV, 80



350. 1944

JACOBO SEABERGO  
Pharmacopoeia Bohemica



la Officina Principis Anno  
1878

1878/79





ILLVSTRISSIMIS

AC GENEROSISSIMIS PRIN-  
CIPIBVS AC DOMINIS,

~~\_\_\_\_\_~~, D. IOA-  
CHIMO FRIDERICO, ET D. IOHANNI,  
Ducibus Silesiæ, Lignicensibus & Bregensibus &c.  
Dominis suis clementissimis.

S. P. D.

IACOBVS SEIDELIVS.

**A**cutè Aristoteles capite decimo tertio libri septimi politicorum duo esse tradit, in quibus laus benè agēdi consistit, quorum vnum est, vt propositum ac finis agendi rectè supponatur, alterum vt eas, quæ ad illum finem ferant, actiones inueniamus. Secundum hoc philosophi præceptū Medici quoq; rationales seu dogmatici praxin suam instituunt, ac primò quidem finem

) ( 2 sibi



sibi proponunt morbi abolitionem, deinde etiam media ad eum finem deducunt inquirunt. Media verò seu instrumenta, quorum adminiculo ad morbi expugnationem, & sanitatis recuperationē medici deueniunt, tria sunt numero, videlicet diætā, chirurgia & pharmacia, quæ commodè administrari non possunt citra indicationes, quibus veluti ducibus ad idoneum & legitimum remediorum vsum deducuntur, vnde etiam *ὀδηγῶν*, id est, indicationis nomen acceperunt, quia quid in vfu materiæ medicæ agendum sit indicant. Indicationes illæ à natura seu essentia morbi, quæ in causarum notitia consistit, potissimum desumuntur. At causarum morbi essentiam constituentium sunt tres præcipuæ, materia, forma & efficiens. Materia alia est in qua, alia ex qua. Materiam ex qua morbi, cum sint accidentia, nullam habent. Materia in qua, seu subiectum, cui morbi inhaerent, est vel totum corpus, vel aliqua ipsius pars. Forma est morbi species, videlicet:



licet intemperies, vitiosa structura, & solutio continui. Causarum efficientium vna exterior est, alia interior, & hæc rursus vel antecedens vel continens. Finalis causæ in morbis nullus est vsus. Cum enim finis rationem boni habeat, tantum in rebus naturalibus, quæ ad certos vsus à Deo conditæ sunt, spectatur.

Quæ cum ita sint, indicationes prius rectè constitui non possunt, quàm species morbi, ipsius subiectum & causæ effectrices probè cognitæ atque perspectæ habeantur. Porro omnis cognitio nostra fit à posteriori seu effectibus. Effectus autem morborum sunt symptomata ab actionibus læsis, affectibus corporis, excretis & retentis desumpta, quibus in notitiã morbi, subiecti & causarum efficientium deuenimus. Ex quibus perspicitur in vera & legitima cuiusvis morbi curatione primò considerandam esse ipsius formã seu speciem, deinde materiam seu subiectũ, mox causas efficientes, demum signa tum diagnostica,



tum prognostica, tandē indicationes, & postremò materiã medicam. Atq; hæc vera est medendi methodus, qua docti & excellētes medici ab imperitis Empiricis, & iis qui vulgò temerè medicinam faciunt, distinguuntur, quam qui ignorant, illos cœcorū more veluti per ignotas vias discurrere, atque à proposito sibi fine sæpius aberrare necesse est. Ad hanc igitur præclarissimam medendi Methodum, totius medicinæ apicem, propositorum morborum curationes accommodare, easq; præ cæteris vestris Celsitudinibus dedicare volui, quò meum erga eas obsequium fidele testificarer, animiq; gratitudinem declararem. Cum enim in V. C. ditione non tantum lucis huius v. suram, verum etiam prima pietatis, bonarum artium & linguarum principia perceperim, æquum esse existimaui, vt has ingenii mei primitias eisdem offerrem atque consecrarem, submissè rogans, vt vestræ Celsitudines eas clementi ac benigno animo à me suscipiant. Quod si quis munu-

scu-



## P R A E F A T I O.


sculum hoc à V. C. alienum esse existimet,  
 huic <sup>ego</sup> enim potentissimi Parthorum regis  
 Mithridatis exemplum oppono, qui sese  
 inter grauiſſima regni ſui negotia medi-  
 cinae quoque ſtudiis oblectauit, atque in co-  
 gnitione facultatum ac virium ſimplici-  
 um medicamentorum tantopere exercuit,  
 vt poſtea ex illis præſtantiſſimum, o-  
 mniùmque clariſſimorum medicorum  
 vſu contra omnia venena probatum Ele-  
 ctuarium theriacæ ſimilimum compo-  
 fuerit, cuius magnus adhuc in noſtris phar-  
 macopoliis ſub nomine Mithridatii, ſeu  
 anthidoti Mithridatis vſus exiſtit. Non iam  
 dicã de Gentio Illyriorũ, Lyſimacho Mace-  
 doniæ & Telepho Miſiæ regibus, qui pro-  
 pter ſingulare in materia medica ſtudiũ, à  
 ſuo nomine Gentianã, Lyſimachiã & Tele-  
 phium ſtirpes appellarũt. Quod reliquũ eſt,  
 Celſitudines veſtras in perpetuã Dei fidem  
 clientelamq; commendo, eiſdemq; ſalutẽ  
 diuturnam, ac felicem conſiliorũ omni-  
 um ſucceſſum ex animo precor & opto.

*Data GRYPHISVVALDII XII. Martii Anno XC.*



EPIGRAMMA  
IN METHODOICAM AR-  
thritidis curationem,

D. IACOBI SEIDELII.

ERTVR *Apollinea sanasse Erasistratus*  
*arte*  
*Antiochū, Syriae qui dominator erat.*

*Unde tulit centum sibi, pro mercede, talenta,*  
*E regis grata munificaq; manu.*

*Quanta putas IACOBE tibi sunt premia danda*  
*SEIDELI, medicæ gloria magna scholæ.*

*Tu quod non uni tantum, verum arte mederis*  
*Omnibus humani corporis articulis:*

*Quos vitiat morbis furiarum noxia turba,*  
*Fra, dolor nimius, balnea, vina, Venus.*

*Articuli humano quot sunt in corpore: libro*  
*Debentur totidem, crede, talenta tuo.*

M. Adam Hamel.





# M E T H O D I C A

ARTHRITIDIS CVRATIO

CAVSA FORMALIS  
seu species affectus.

## THESES I.

**A**ρθριτις à parte affecta nomen inuenit. Sic enim dicitur ἄρθρον τῶν ἄρθρων, id est, articulis, qui primum & per se in hoc morbi genere afficiuntur. Latini eadem de causa morbum articulare appellabant. Barbari guttam vocant, quod defluxionem guttatim factam esse existiment. Germani die Gicht oder das Zipperlein.

## II.

Arthritidis nomen duobus modis à medicis vsurpatur. Aliquando enim pro symptomate, aliquando pro morbo sumitur.

## III.

Cum symptomaticis nomen est, dolore seu sensu tristi articulorum definitur.

## IIII.

Cum vero morbum denotat, affectum articulorum significat ex intemperie & vitiosa structura complicatum. Intemperiem imbecillitas articulorum, quæ semper aliquam intemperiem consequitur:

A



quitur: viciosam structuram eorundem laxitas, humorum affluxum admittens, arguit. *Et si autem arthritidis aliquando ab humoribus acribus & mordacibus, quales sunt biliosi & salsi, excitatur: tamen, quia partes articularum vis non exulcerantur, solutio continui rectè dici nequit.*

## MATERIA SEV SVBIE- ctum seu pars affecta.

### V.

*Pars affecta Græcis ἄρθρωσις καὶ ἄρθρον, Latinis articulatio & articulus dicitur. Articulus autem est ossium compositio, ligamentorum & tendinum auxilio voluntarij motus gratia comparata. Huius tres sunt species, videlicet ἐναρθρωσις ἀρθρωδία καὶ γίγ-  
γλυμι.*

### VI.

*Ἐναρθρωσις est articulus, in quo excipientis ossis cavum si-  
nissime altius, & acetabuli modo exsculptus est, caput vero quod illi  
inseritur exuberans, ut femoris cum coxendicis osse; humeri cum  
scapula; postbrachialis, pediiq; ossium, cum primis digitorum ossibus.*

### VII.

*Ἀρθρωδία est species articuli, in qua ossis cavitas articulum  
excipiens superficialia est, caputq; quod in eam inseritur, humile  
atq; depressum, ut in occipite cum prima colli vertebra: in maxilla  
inferiore cum osse petroso: in radio cum carpo: in Astragalo cum  
osse navis speciem referente: in costis cum vertebra, earumq; apo-  
physibus transversis. Vertebra quoq; spinæ dorsæ, teste Vesalio capite  
quarto Libri primi de humani corporis fabrica sibi inuicem partim  
arthrodia, partim enarthrosi committuntur, licet Galenus libro de  
ossibus*



ossibus & libro tertio commentariorum in librum Hippocratis de articulis articulationem illam ad giglymon referat.

## VIII.

Γίγλυμον ὅστις est articulus plerisque ostiorum cardinibus similis, in quo ossa sese inuicem ingredientia ita secum coniunguntur, vt vnus caput in alterius cavitatem condatur, & vicissim huius caput in illius sinum excipiat. Talis est connexio cubiti cum brachio: femoris cum tibia: tibie cum Astragalo: secundi & tertij articuli quatuor digitorum manus & pedis.

## IX.

Articuli, vt cetera quoque organa, ex variis partibus sunt constituti, videlicet duobus ossibus, quorum vnum κεφαλή, id est caput, alterum vero ἰστέλη vel γλώη dicitur: Cartilaginibus, quae sunt medium interstitium, & veluti puluinar ossibus articulorum interiectum, ne illa duritie sua inter se collidantur, & assiduus motibus attrita vitentur: ligamentis, articulos omnes orbiculatim ambientibus & colligantibus, ne facile sua sede dimoueantur atque luxentur: & tendinibus in extrema articulorum insertis. Cumque dolor partium sentientium sit proprius, eoque cartilagine, ligamenta, & ossa, quae circa iuncturas periostii carent, sint destituta, dolorem articulis ratione tendinum, quorum beneficio articuli tum sensum, tum motum habent, accidere necesse est.

## X.

Ossium vero connexiones, quae citra articulum fiunt, articularis quoque morbi sunt expertes. Harum quatuor species numerant Anatomici, videlicet ῥαφίς, ἀρμονία, γόμφωσιν & σύμφωσιν. Quamuis enim Galenus tres priores species ad ἑνωσθῆσιν referat: tamen cum nullius ligamenti, vel alterius corporis beneficio fiant, omni proorsus motu careant, eas cum articulatione nullam omnino conuenientiam habere perspicuum est.



ARTHRITIDIS  
CAUSAE EFFICIENTES.

XI.

*Causa efficiens arthritidis alia exterior est, quae & evidens appellatur, Graecis ἀναγκαζουμένη: alia interior. Hac rursus duplex, videlicet ἀνεξαρτησία, hoc est, antecedens, & ἐμπεδουμένη, id est, continens, quae & proxima dicitur.*

XII.

*Causarum evidentium aliae necessariae sunt, quae necessario nobis occurrunt, & sex rerum non naturalium numero comprehenduntur, videlicet aëre, cibo & potu, motu & quiete, somno & vigilia, excretis & retentis, & animi perturbationibus: Aliae non necessariae, quae fortuito in nos irruunt.*

XIII.

*Arthritidem igitur concitare potest, aer nimis tum calidus, tum frigidus, quorum ille articulos laxat, hic vero constringit, atque excrementa vacuari prohibet. Ideoque Hippocrates aphorismo quinquagesimo quinto sectionis sextae arthritides tempore vernali & autumnali magna ex parte exacerbari tradit. Nam vere humores funduntur, qui hyeme coaceruati continebantur: Autumno vero humores aestate collecti ab ambientis frigiditate coercentur.*

XIII.

*Cibi vitiosi, vel corrupti, vel qui facile in ventriculo corrumpuntur, quales sunt lac, horarii fructus, & similes, vel intempestive ingesti, cacochymiam: laudabiles nimia quantitate assumpti plenitudinem: Crapula vero & ebrietas cruditates in corpore producant. Unde Hippocrates aphorismo quadragesimo quinto sectionis quartae scribit: Quibus tubercula, vel labores in articulis fiunt, in pluribus vituntur cibis.*



## XV.

Potus fortioris cuiusvis & præsertim vini plenior usus caput citissimè & facillimè fumis replet, cum quo simul nerui inde orti & omnes nervosæ ac membranosa partes feriuntur atq; imbecilliores fiunt.

## XVI.

Huc facit familiarium excretionum, ut in mulieribus mensium, in viris hæmorrhoidum, in vtriusq; sudoris & urinæ suppressio & imminutio. Ideo Hippocrates, aphorismo vigesimo nono sectionis sextæ, mulierem podagra non laborare asserit, nisi ipsi menses defuerint.

## XVII.

Corporis quoq; ex nimia Venere inanitio admodum nocet. Calorem enim nativum imminuit, spiritusq; resoluit, atq; sic corpora arthriticis fluxionibus obnoxia reddit. Quamobrem Hippocrates aphorismo vicesimo octavo sectionis sextæ, eunuchos, & aphorismo tricesimo eiusdem sectionis, pueros, ante usum Veneris podagra non laborare scriptum reliquit. Propterea etiam arthritis Bacchi & Veneris filia non ineptè à poëta quodam Græco fingitur his versibus:

λυσιμελὲς Βάκχῃ, καὶ λυσιμελὲς Ἀφροδίτῃς,

Γενεῖται θυγατὴρ λυσιμελὲς ποδάγρα. hoc est,

E soluilumbo Bacco, soluilumbaq; Venere

Generatur filia soluilumba podagra.

## XVIII.

Quies & consuetorum exercitiorum intermissio, hebetato calore nativo, cruditates, vitiosorumq; humorum copiam parit. Vehementiora vero exercitia, post cibum assumptum, crudos incoctosq; succos ad articulos depellunt, uti Galenus capite secundo libri secundum de tuenda sanitate tradit.

## XIX.

Somnus immodicus, præsertim mox à cibo, caput vaporibus replet, atq; defluxiones in articulos concitat. Vigilia quoq; immodicæ, diutius detento in partibus exterioribus calore nativo, cibi potusq; concoctionem impediunt.

## XX.

Animi accidentia, vt tristitia, mæror, caloris naturalis robur resoluunt. Calore autem nativo debilitato, articuli alimentum suum nec concoquere, nec assimilare queunt, ideoq; excrementa plurima in ipsis coaceruata dolorem articulare excitant. Ira & timor humores in corpore collectos commouent atq; ad articulos depellunt.

## XXI.

Causæ exteriores non necessario occurrentes sunt casus, percussiones, luxationes, & aliæ offensiones, quæ Articulis extrinsecus accidunt. Natationes in aqua frigida neruoso generi atq; iuncturis maximè officiunt. Balnea in laconico frequentiora cibo assumpto articulos laxant, & alimentum crudum ad eosdem attrahunt.

## XXII.

Cogitationes quoq; studia, lectiones & scripturæ post pastum noxiæ, quod spiritum & calorem nativum à ventriculo & cæteris nutritionis instrumentis auertunt & distrahunt, atq; ita coctionem impediunt, & cruditates producant.

## XXIII.

Causæ antecedentes arthritidis sunt duæ, videlicet partium imbecillitas, & materia à partium imbecillitate producta, de quarum vtraq; diuersæ sunt medicorum opiniones.

## XXIII.

Partium imbecillitas vel nativa est, quæ vitio seminis à parentibus arthriticis in sobolem propagatur: vel adscititia, quæ vehementio-



mentioribus & intempestivis exercitijs, casu, luxatione, & aliis rebus foris incidentibus acquiritur.

## XXV.

Partes aliæ sunt mittentes, in quibus materia arthritidem efficiens generatur: Aliæ recipientes, in quibus materia illa coaceruatur: Aliæ veluti viæ sunt, per quas materia ab interioribus partibus ad articulos deducitur.

## XXVI.

Partes mittentes sunt vel totum corpus, vel aliqua ipsius pars, ut cerebrum, hepar, vterus, & cætera partes morbo quodam affectæ. Cum enim ventriculus & hepar propter conceptam intemperiem alimentum rectè concoquere nequeunt, excrementa plurima generari necesse est, quæ tum quantitate, tum qualitate sua mala naturam irritant, ut ea in articulos tanquam ignobiliora membra depellat, Eodem modo cerebrum intemperie aliqua laborans sanguinem pro sui nutritione assumptum assimilare nequit, ideoq; excrementa coaceruata ad articulos defluunt. Ita si sanguis per vterum vacuari solitus retineatur, postea ad articulos imbecilles protruditur. Et sic de cæteris. Semper enim robustæ partes excrementa sua in debiliores deponunt.

## XXVII.

Hoc dilucidè confirmat Hippocrates medicorum princeps aphorismo quadragesimo quarto sectionis quartæ: Quos febres longæ exercent, inquit, iis tubercula ad articulos, vel labores fiunt. At huiusmodi febres absq; aliquo viscere malè affecto fieri non posse, apud omnes medicos in confesso est. Humores igitur vitiosi ab interioribus partibus ad articulos debiliores propelluntur. Idem libro de locis in homine arthritidem ex humoribus à capite defluentibus generari tradit. Præterea libro sexto Epidemiorum, sectione prima, aphorismo secundo, vteri tumores in coxendicem transire docet:

E



Es quarta sectione, aphorismo tertio, eiusdem libri, de quodam scribit, cui colicus dolor in articulare[m] sit mutatus, quod ideo fit, quia roborata intestina materiam ad iuncturas propellunt.

## XXVIII.

Fernelius libro sexto Pathologiae capite decimo octavo, nec cerebrum, nec hepar, nec alia interiora viscera, sed exteriores tantum capitis partes, & extra caluam positas, arthritidis fontem esse docet, à quibus vitiosum humorem illic à venis iugularibus externis repositum, neq[ue] ob cutis crassitudinem expiratum, deorsum ad articulos decurrere tradit. Interiores enim cerebri partes pituitosum excrementum vel per nares, vel per palatum, in asperam arteriam, pulmones, ventriculum, aliasq[ue] interiores sedes depellere contendit.

## XXIX.

Quod si verum esset omnem sanè arthritidem capitis dolor externus antecederet. At non omnibus arthriticis ante morbi huius insultum pericranei dolor contingit. Nam quibus ex affectione hepatis, aut lienis, vel retentione menstruorum, aut hamorrhoidum, vel dolore colico, vel alia quadam parte morbo affecta materia articulis communicatur, illi ante morbi huius accessionem diuturnam modò partium dolorem, nulla praecunte externarum capitis partium molestia sentiunt, Externa igitur illa capitis pars non est origo arthritidis.

## XXX.

Etsi vero in cachecticis superflui humores à visceribus interioribus in pedes decumbentes non arthritidem seu podagram, sed tumorem oedematofum efficiunt: tamen propterea negare non potest Fernelius, quin uidem ad articulos debiles propulsi, aliquando etiam arthritidem excitare possint. Nam ad arthritidis, ut ceterorum quoq[ue] morborum generationem duo potissimum requiruntur, videlicet agens & patiens, hoc est, humorum abundantia, & articulorum imbe-



C V R A T I O.

imbecillitas. Sola humorum abundantia arthritidem procreare nequit. Illa enim prout ad diuersas partes depellitur, ita etiam diuersos morbos producit. Nec sola articularum debilitas arthriticam passionem efficere potest, alioqui exacerbationes indefinentes esse oporteret, cum debilitas articulis perpetuo insit. Quamuis igitur in Cachexia totum corpus prauis succis scateat: tamen articuli propter innatum robur ad eorū receptionem non sunt habiles. Hinc fit, ut non ad articulos deferantur, Sed per vniuersam carnem partesque circumpositas diffundantur.

XXXI.

Via quibus humores superuacanei ab interioribus partibus ad articulos deducuntur, sunt venæ, arteriæ & nerui, quibus etiam alimentum & spiritus, à principalibus partibus in vniuersum corpus distribuuntur. Nam excrementa quæ per nares, aut palatum expurgari debuerant, si in cerebro detineantur, per spinam dorsī & neruos: qui vero in alijs visceribus interioribus continentur vitiosi succi, per venas & arterias ad articulos deferuntur.

XXXII.

Fernelius citato iam loco humorem superuacaneum ab externis capitis partibus sub cute per summa corporis dorsum decurrere docet.

XXXIII.

At Fernelij opinionem illud vrget, quod à capitis partibus extra caluam positus nulla manifesta via sit, qua superuacaneus ille humor ad articulos ferri possit. Neque enim inde vel venæ, vel arteriæ ad articulos porriguntur. Deinde nerui non ab exterioribus capitis partibus, sed à cerebri substantia originem habent

XXXIII.

Quod vero obiicit Fernelius sincerum humorem nusquam per venas ferri, sed sanguini permixtum, ideoque per venarum ora purum in articulos deduci non posse, facile dissolui potest. Neque enim sanguis ille, qui in sanis corporibus per vasa ad articulos defertur, purus



est, sed pituita & seroso humori permixtus. Et sanguinis quidem portio purior in substantiam articulorum conuertitur, pituitosa vero articuli humectantur, atq; ad motum promptiores redduntur. Eadem igitur via etiam in corporibus ægris humores vitiosi sanguini permixti ad articulos deferuntur.

## XXXV.

Nec obstat quod nulla via in articulos desinant, per quas tū sanguis, tū vitiosi humores in articulos illabi possint. Nā sanguis & cæteri humores per venas ad musculos delati, postea raris modo tam per vniuersam musculi substantiam, quam eorundem tendines articulis insertos disperguntur.

## XXXVI.

Articuli diuerso respectu tum subiecti, tum causæ rationem habent. Quatenus enim à partibus mittentibus materiam suscipiunt, eatenus subiectū sunt arthritidis; quatenus vere propter imbecillitatem materiam colligunt, eatenus causa eiusdē dici possunt. Ut enim cæteræ corporis partes, ita etiam articuli quatuor facultatibus naturalibus, videlicet, attractrice, retētrice, concoctrice & expultrice sunt præditi. Si igitur articuli bene affecti fuerint, tum & concoctio alimenti in ipsis commodè perficitur, & excrementa in coctione generata per conuenientia loca, videlicet poros cutis, expelluntur. Cum vero iidem imbecillitate quadam laborant, tum nec alimentum in sui substantiam transmutare possunt, & excrementa in nutritione generata, propter imbecillitatem facultatis expultricis, in ipsis retinentur.

## XXXVII.

Materia igitur arthritidem efficiens, partim per defluxionem à visceribus interioribus, partim per congestionem seu decubitum, in articulis cumulat, Alimentum enim primò in secunda coctione labem quandam contrahit, idq; postea ad articulos delatum, propter eorum imbecillitatem rectè concoqui nequit, ideoq; in tertia illa coctione excrementa augeri necesse est, quæ articulis impacta dolorem excitant.

Ma-



## XXXVIII.

Materia autem illa est vel humor, vel flatus, Rursus humor vel sanguis est, vel pituita, vel bilis, vel melancholia. Et singuli humores vel simplices sunt, vel alijs permixti. Hippocrates libro de internis affectionibus. Galenus libro decimo de compositione medicamentorum localium capite secundo. Alexander Trallianus libro undecimo capite primo. Paulus Aegineta libro tertio de re medica capite septuagesimo octavo. Aetius tetrabibli tertij, sermone quarto, capite decimo tertio, vsq; ad decimum nonum. Auicenna libro tertio, fen vicesima secunda, tractatu secundo, capite quinto. Isaacus libro nono theorica capite vltimo. Rhases libro de affectibus iuncturarum capite primo.

## XXXIX.

Fernelius neq; à sanguineo, nec bilioso, nec melancholico humore inquam arthritidem generari arbitratur, sed semper à pituitoso, vel seroso.

## XL.

Quod verò à diuersis causis arthritidis excitari possit ostendunt diuersa symptomata hunc morbum consequentia. Nam in quibusdam agris color cutis rubicundus, in alijs vel subalbidus, vel flauus, vel liuidus apparet. Color autem cutis, teste Galeno commentario in secundum aphorismum Hippocratis sectionis primæ, similis efflorescit humoribus in corpore redundantibus. Deinde dolor in quibusdam agris est pungens, in alijs tendens, ac pungens quidem materiam calidam, tendens, si citra grauitatem fuerit spiritum crudum & flatuosum, cum grauitate vero humorum frigidorum multitudinem significat.

## XLI.

Idem etiam ex medicamentis quæ hoc morbo correptis medici applicare solent, est perspicuum. Arthriticorum enim alijs à calidis, alijs vero à frigidis medicamentis leuamen sentiunt, vt Galenus, Aretæus, Alexander Trallianus, Paulus Aegineta, Oribasius, Aetius

Auicenna, Rhases, Cornelius Celsus & alii medici docent. Non igitur vna eademq; cuiusuis arthritidis, vt vult Fernelius, causa esse potest.

## XLII.

Nec quicquam momenti habet obiectio Fernelij, qua probare conatur, sanguinem non esse materiam arthritidis, quod in articulis collectus phlegmonem non excitet, quæ in pus vnquam conuerti visa sit. Non enim necesse est omnem sanguinis affluxum phlegmonem concitare, nisi in musculum, aut carnem fiat. Cum vero articulorum partes nervosæ sint, & carne nudatæ, inflammationibus commodam sedem præbere nequeunt.

## XLIII.

Proxima continensq; arthritidis causa est tum humor, tum flatus, qui in articulos decumbens, atq; in eorum spatia laxiora sese insinuans, qualitate quidem sua intemperiem, quantitate vero distentionem ac structuræ vitium inducit.

## DIFFERENTIAE.

## XLIIII.

Differentiæ arthritidis variantur pro diuersitate ortus seu originis, loci affecti, temporis, materiae, eiusq; motus ac quietis.

## XLV.

Ratione ortus seu originis arthritidis alia est natiua seu hereditaria, quæ à parentibus articulari morbo affectis liberis communicatur. Alia acquisita, quæ crâpula, ebrietate, nimia & intempestiua venere, & caterarum rerum non naturalium inconueniente vsu contrahitur.

## XLVI.

Ratione materiae alia est χυλώδης, quæ ab humoribus: Alia Φυσώδης ἢ πνέμετωδης, quæ à flatibus producitur. Rursum χυλώδης alia est φλεγμονώδης, quæ ex sanguinis: alia εἰσοπιδιωδης



δης, quæ ex bilis: Alia οιδημετωδης quæ expiruitæ: alia οκίρρωδης, quæ ex melancholiæ ad articulos defluxu ortum habet.

## XLVII.

Ratione motus & quietis materiæ arthritidis distinguitur in fixam & vagam. Fixa est quæ vno in loco permanet, & fit ab humoribus. Vaga dicitur quæ ex vno articulo in alium discurrit, & fit à flatibus, Germani vocant Die Lauffende Gicht.

## XVIII.

Ratione temporis alia recens est, quæ nuper affligere cœpit: Alia inueterata, quæ longo tempore iam affixit, in qua tenui humoris parte dissipata fax quædam terrena manet, quæ frequenti influxione coagmentata in manifestum tophum & calculum concrefcit, atq; nodosam arthritidem constituit.

## XLIX.

Ratione partis affectæ arthritidis quoq; variat. Prout enim materia ad diuersos articulos delabitur, sic quoq; varias constituit arthritidis species, in articulis quidẽ corporis vel omnibus vel plurimis αρθερνια proprie dicta: in manibus χειραργεα: in ischio, id est, coxa οχιαδα, hoc est, coxendicũ dolorem, vulgò sciaticam: in genibus γναργεα: in pedibus ποδαργεα. In reliquis vero articulis proprio nomine caret, ac communi appellatione vocatur dolor certis, lumborum, dorsi, scapularum, & sic de cæteris.

## SIGNA DIAGNO-

## S T I C A.

## L.

Παθωνωμενικα quæ morbi speciem demonstrant signa, sunt dolor articularum, eorundemq; motus abolitio aut imminutio.

## LI.

Συνοδὸν δὲ τῶν, hoc est, concurrentia seu assidentia signa, quæ non necessario in arthritide ad sunt, sed seungi interdum separariq; ab ea possunt, sunt rubor & tumor articularum affectorum, quantitas urinae & sudoris solito minor, ciborum auersatio, sitis, vigiliae & similia.

## LII.

Causæ externæ ex ægotantiũ vel assidentiũ sermone: Internæ vero ex proprietate doloris, colore cutis, tempore exacerbationis, ratione victus precedente, ætate, anni tempore, & constitutione aeris facillè dignoscuntur, Galenus libro decimo de compositione medicamentorum localium capite secundo. Alexander Trallianus libro undecimo capite primo. Paulus Aegineta libro tertio de re medica capite septuagesimo octauo. Aetius terrabilis tertij, sermone quarto, capite primo. Rhases libro de affectibus iuncturarum capite secundo.

## LIII.

Sanguineus humor cognoscitur dolore pungente, colore cutis rubicundo, tumore venarum, exacerbatione continua, cibis boni succi, ætate adolescentiæ, tempore anni verno, regione temperata.

## LIIII.

Biliosus dolore pungente, colore cutis flavescente, exacerbatione tertiana, ætate iuuenili, tempore anni æstiuo, ratione victus precedente, & regione calidis & siccis.

## LV.

Pituitosus dolore tendente cum grauitate, colore pallido, exacerbatione quotidiana, ætate senili, anni tempore hyemali, ratione victus & regione frigidis & humidis.

## LVI.

Melancholicus similiter dolore tendente cum grauitate, colore liuido, exacerbatione quartana, ætate virili, anni tempore autumnali, ratione victus & regione frigidis & siccis.

Flatus



## LVII.

*Flatus cognoscuntur dolore tendente citra gravitatem, & va-  
go, qui ex vno loco in alium discurret, ructibus frequentioribus,  
flatibus ventris, tinnitu aurium, ratione victus precedente frigi-  
da & humida.*

## LVIII.

*Materia si à capite fluat adsunt catharri indicia, videlicet  
gravitas capitis, vigilia & similia: si ab hepate vel liene, tensio hy-  
pochondriorum ex viscerum illorum obstructione. Sin ab utero, do-  
lor circa lumbos, ex menstruorum suppressione.*

## SIGNA PROGNOSTICA.

## LIX.

*Quicumq; morbi podagrici fiunt, inflammatione sedata in qua-  
draginta diebus subsistunt. Hippocrates aphorismo quadragesimo  
nono sectionis sextæ.*

## LX.

*Quibus à coxendicis malo diuturno molestatis coxa excidit, iis  
crus contabescit, & claudicant, si non vrantur. Hippocrates apho-  
rismo sexagesimo sectionis sextæ.*

## LXI.

*Vt hæmorrhoides melancholiam & induratum lienem: sic va-  
rices tum hos ipsos morbos, tum articulorum dolores sanant. Gale-  
nus commentario sexto in librum sextum Epidemiorum Hippocra-  
tis, sectione octava.*

## LXII.

*Podagra multis in hydropicum morbum concedit, quibusdam  
in asthma. Hæc vero successio immedicabilis atq; incurabilis est.  
Arctæus libro secundo de signis & causis diuturnorum morborum,  
capite duodecimo.*

## LXIII.

*Arthritis que multis iam annis inueteravit, vel à maioribus  
per*

per successiōem descendit, ægrorū vsq̄ ad mortē comitatur. Aretanus libro secundo de morborū diuturnorum curatione, capite duodecimo.

## INDICATIONES

CVRATIVÆ.

## LXIII.

Indicationes curatiuæ à natura seu essentia arthritidis, quæ in causa formali, hoc est, specie morbi, materiali, hoc est, parte affecta, & efficiente consistit, desumuntur.

## LXV.

Morbus est intemperies, & vitiosa structura. Intemperies alterationem per contraria indicat. Si igitur intemperies frigida fuerit, calefacientia, sin calida, frigefacientia requirit. Vitiosa structura in mala conformatione & dilatatione articulorum consistit, quæ constringentia postulat.

## LXVI.

Causa efficiens est vel antecedens vel coniuncta. Causa antecedens vel in partibus mittentibus adhuc continetur, estq̄ vel plenitudo, vel cacochymia, quarum illa phlebotomiam, hæc purgationem indicat: vel ad articulos iam confluit, quæ tum reuulsionem ad partes remotissimas, tum deriuationem ad vicinas innuit.

## LXVII.

Causa coniuncta vel in articulis adhuc colligitur, quæ repulsionem indicat: vel iisdem iam impacta est, quæ discussionem medicamentis, aut vacationem seu deriuationem cucurbitulis, vel cauterijs factam requirit.

## LXVIII.

Partes affectæ vel mittentes sunt, vel recipientes. Partes mittentes quomodo materia peccans euacuanda sit indicat. Si enim materia in capite contineatur, apoplegmatis & errhynis: Si in utero pessarijs: Si in vniuerso corpore, diureticis & sudoriferis

pro-



propellendā esse demonstrant. Partes recipientes seu articuli, quia crassi & duri sunt, tenuium partium medicamenta postulant, quae facile ipsorum meatus subire, atq; in profundum penetrare possint.

## D I A E T A.

## LXIX.

Rectè Plāto libro quarto de republica medicinas nullas prius prodesse scribit, quam quis intemperanter viuere desinat. Et Oribasius, capite quinquagesimo octauo libri noni synopsis, illos qui abdomini inferuiunt, quiq; mala victus ratione vtuntur, ne curandos quidem suscipi debere monet. Qui igitur articulari morbo liberari cupiunt eos imprimis rectam victus rationem, quae in legitimo sex rerum non naturalium vsu consistit, instituere oportet.

## LXX.

Victus ratio praesertim in principio affectus tenuis instituat, vt singulae partes excrementitium humorem auidius contineant, eumq; coquant, & sic vniuersum corpus ab excrementis superfluis exhauriatur.

## LXXI.

Aer deligatur substantia purus, non crassus, aut vitiosis exhalationibus inquinatus, qualitatibus suis oppositus temperaturae illi quam seruare conamur, & si natura talis non sit, arte corrigatur.

## LXXII.

Panis conuenit similagineus non nimis recens aut vetustus, benè fermentatus, subactus & optimè pistus. Panis non fermentatus fugiendus, vt sunt placentae quocunq; modo preparatae.

## LXXIII.

Carnes probantur ex animalibus terrestribus vitulina, agnina, haedina, veruecina, capreolorum, leporum, cuniculorum. Ex volatilibus phasianorum, perdicum, turdorum, merularum, gallinarum, caponum. Caro vero porcina, bubula, ceruorum, anserum, anatium, & aliarum auium palustrium noxia. Reijciuntur quoq;  
C carnes



carnes omnes pingues, sale conditæ, & fumo maceratæ, item viscera interiora, vt cerebrum, iecur, ventriculus &c.

## LXXIII.

Piscium genera frigida & humida sunt, propterea frigidis naturis non conueniunt. Qui verò calidiore temperatura sunt, piscibus fluuiatilibus citra noxam vesci possunt, quales sunt funduli, trutte, perca maiores & minores, luci, mulli, & similes. Abstineant ab esu cancrorum, concharum, anguillarum, & omnium piscium in stagnis & paludibus degentium.

## LXXV.

Legumina à mensis arthriticorum releganda, vt sunt pisa, lentes, fabæ, milium, oriza, Loco autem eorum assumendi sunt pulstes ex hordeo, auena & amylo.

## LXXVI.

Vitent omnia quæ vaporū copiam ad cerebrum transmittunt, vt sunt allia, cepæ, sinapi, raphanus, & odoramenta supra modū calida. Item lac, caseum, fungos, & omnes fructus crudos, emollientes, aquosumq; sanguinem generantes.

## LXXVII.

Multiplicem quoq; & varium cibum in vna mensa fugiant, qui non tantum ventriculi coctionem turbat, sed etiam naturam ad maiorem, quam ipsi conueniat, quantitatem cibi assumendam irritat, ideoq; vno vel duobus ferculis in vna mensa contenti sint.

## LXXVIII.

Vinum in arthritidis accessione minimè confert, quod à parte fluxione tentata quàm longissimè auertere, nō ad ipsam humores attrahere expediat. Vinum autem calore & potentia sua humores ad articulos trahit, & nervosam substantiam omnem promptissimè offendit, eoq; morbum auget. Quamobrem vini loco per accessionum tempus frigidioribus temperaturis aqua mellis, in qua anisi semen,  
ad ven-



ad ventriculi robur & flatuum dissolutionem, incoctum sit: calidioribus aqua Zacharata, aut prisana ex hordeo, aniso, glycyrrhiza, & passulis concinnata, tantilloq; santali citrini aromatizata conueniet. In morbi autem declinatione, & praeseruatione vinum conceditur album & tenue, ὀλίγος ποσόν Græcis dictum, quod concoctionem adiuuat, & humores ad articulos profluentes per vrinam auertit. Qui cereuisiam bibere consueuerunt, deligant eam puram & bene defæcatam, parumq; lupuli habentem.

## LXXIX.

Circa initia morbi corpore non euacuato quietem eligant: temporis verò processu exercitius vrantur ante cibum moderatis, quibus insitus cuiusq; partis calor excitatur & ad suam operationem perficiendam promptior redditur. Fugiant cursum, saltum, equitationem & alias huiusmodi vehementiores corporis commotiones, quæ articulos calefaciunt & humores commouent. A prandio & cæna omnino quiescant.

## LXXX.

Cubitum se duabus aut tribus horis à cæna conferant, eiq; lateri incumbant quod affectæ parti fuerit oppositum nec prius surgant, quam cibum probe concoctum esse senserint.

## LXXXI.

Caueant ab ira, tristitia, curis & cæteris animi perturbationibus. Neq; etiam cogitationes de re quadam grauiore post cibum assumptum suscipiant.

## LXXXII.

Naturales excretiones, si sua sponte non procedant, arte sunt promouendæ, tum iis quæ aluum & vrinam mouent, tum quæ menses & hæmorrhoides propellunt.



ARTHRITIDIS  
LXXXIII.

*Nimia & intempeſtiua Venus vitanda, nec prius exercenda eſt, quam quis à natura ad eam admodum inſtigetur, & poſt Venerem ſe quaſi leuiorem redditum eſſe ſentiat. Tempus huic rei accommodatum eſt matutinum, cibo iam benè concocto.*

CHIRURGIA.

LXXXIIII.

*Quando arthritis à plenitudine ortum habet, vena, ſi modò vires & ætas conſentiant, incidatur affectæ parti conueniens. Si quidem dolor fuerit in manibus, crurum tum poplitis, tum malleolorum eiufdem lateris: ſi in pedibus cubiti, basilica, cum humor profluat ex hepate, vel liene, quando vero ex capite, humeraria: ac ſi in coxendice dolor ſentiatur, primò cubiti, deinde ea que iuxta talos aut poplitem eſt. Quod ſi alterius lateris partes tam superiores, quam inferiores affectæ fuerint, è contrario: ſin omnes vtriuſq; ſimul, ex eo, quod minorem noxam ſentit, latere ſanguis detrahatur.*

LXXXV.

*Sed & iis, quibus arthritis ab alio humore, quam ſanguine generatur, aliquando venam incidimus, reuulſionis gratia, præſertim ſi dolor vehemens fuerit. Nam in doloribus maximis nullum, teſte Galeno commentario in tertium & viceſimum aphoriſmum ſectionis primæ, præſentius remedium inuenitur venæ ſectione vſq; ad animi deliquium.*

LXXXVI.

*Si poſt venæ ſectionem, circa initium morbi, adhuc aliquid materiæ ad articulos confluat, cucurbitula cum ſcarificatione applicari debent, ſi quidem dolor fuerit in partibus ſuperioribus, coxis & pedibus: ſi in inferioribus, ſcapulis & brachijs, reuulſionis cauſa. At in declinatione morbi, quando materia in articulis iam fixa eſt, nec amplius quid inſluit, cucurbitula iſtis articulis affectis applicanda ſunt, deriuationis gratia.*

*Hirun*



## LXXXVII.

*Hirundines quoq; podici affixæ sanguinem ad articulos corporis tam superiores quam inferiores delabentem reuellunt, eiusq; impetum ad oppositam partem retrahunt.*

## LXXXVIII.

*In eundem vsum frictions & ligaturæ dolorificæ adhiberi possunt partibus vel superioribus, vel inferioribus, pro diuersitate articulorum affectorum.*

## LXXXIX.

*Interdum etiam, in morbi declinatione, cauteria tum actualia tum potentialia articulis affectis admoventur, deriuationis causa, quibus humores crassi, atq; in articulis iam concreti, qui communibus remedijs discuti nequeunt, consumuntur, vt docet Aërius tetrabibli tertij, sermone quarto, capite tertio, & vicesimo quinto. Rhases libro de affectibus iuncturarum capite decimo sexto. In actualium autem cauteriorum vsu diligenter cauendum, ne nimium profunde inurantur, & sic vena, arteria, vel neruus lædatur, vnde conuulsio, vel aliud quoddam incommodum sequatur.*

## P H A R M A C I A.

## X C.

*Si morbus articularis ab humore aliquo vitioso productus fuerit, vt eò melius educatur, primùm conuenientibus decoctis, vel aquis stillaticis, ac syrupis esse præparandus & concoquendus, in quibus non tantum humoris peccantis, sed etiam partium mittentium ratio habenda, & diligenter cauendum, ne calida nimium & attenuantia exhibeantur, quibus materia dissoluta postea largius ad articulos confluat.*

## X C I.

*Præparatus iam humor, siue ad superiores, siue in inferiores corporis articulos feratur, pilulis potissimum esse expurgandus, quæ propter tardiores dissolutionem humores vitiosos à remotioribus*



partibus commodius euacuant. Si igitur humor frigidus fuerit & pituitosus, pilulæ cochiae, arthriticae, benedictæ, fœtidæ, de colocynthide, euphorbio, opoponaco, serapino & hermodactylis maiores: si biliosus, aureæ, aggregatiuæ, ex hermodactylis minores: si melancholicus, Indæ, de lapide Lazuli, & lapide Armenio exhiberi possunt.

## XCII.

Quod si æger pilulas deglutire nequeat, & humor redundans pituitosus fuerit, Electuarij benedictæ laxatiuæ, diaphenicon, Episcopi, diacarthami: Si biliosus, Electuarij rosati, de succo rosarum: Si melancholicus, Electuarij diasenæ, confectionis Hamech, vel hieræ Logadij semuncia, plus vel minus pro ratione ægri, in decoctis, vel aquis stillaticijs conuenientibus, in quibus prius Rhabbarbarum, vel agaricus trochiscatus, vel elleborus niger infusus sit, dissolui poterunt.

## XCIII.

Atq; hæc tum præparantia, tum purgantia, si res postulet, aliquoties erunt repetenda. Sic enim natura minus violabitur, si materia non semel vniuersa, sed per vices subtrahatur.

## XCIII.

Vniuerso corpore in hunc modum expurgato, particulares etiã euacuationes non sunt negligendæ, ac si humor ad articulos defluens in capite contineatur, apophlegmatismis & errhynis: Si in vtero, pessariis: Si in vniuerso corpore, diureticis & sudoriferis ab articulis auertatur.

## XCV.

Inter cetera sudorifera commendatione dignum est decoctum sarsæ parillæ, quod vniuersam corporis molem exhaurit, mali scaturiginem resiccat, & radicitus euellit. Delicatiorebus aqua stillatica ex eadem radici per balneum Mariæ extracta, cum tantillo aquæ cinamomi propinetur. Eidem vsui ligni Guayaci & radicis chinæ decoctum inseruiunt,

Et si



## XCVI.

Et si vero arthritici magna ex parte etiam calculo renali sunt obnoxij: tamen postquam corpus à viciosis succis esse repurgatum, renibus ex usu diureticorum, quæ alioqui humorum colluuiem ad urinarios meatus deducunt, nihil incommodi accidere potest.

## XCVII.

Galenus libro decimo de compositione medicamentorum localium, & alij post ipsum medici, vomitum à cibo summopere commendunt, quo humores ad coxas & pedes defluentes reuellere student. Quia vero stomachum grauiter offendit, cerebrum vaporibus implet, oculos confundit, atq; alia incommoda secum affert, eum plane intermittere satius fuerit.

## XCVIII.

Vacuato humore, succurrendum est imbecillitati partium, quæ generationis ipsius causa sunt, ac mittentes vix dicuntur, & corrigenda earum intemperies, ne huiusmodi materiam in posterum gignant. Confortantia illa variant pro diuersitate subiecti, causarum, temperamenti & aliarum circumstantiarum. Nam si materia frigida sit, atq; à capite defluat, ex conseruis florum primule veris, anthos, saluæ, beronica, speciebus diamoschi dulcis, diambra: Si à ventriculo, & hepate, ex conseruis mentha, fumi terra, speciebus aromatici rosati, diagalaga: Si ab utero, ex conseruis maiorana, melissa, anthos, speciebus diacalamenthi, Electuarij de gemmis: Si verò materia calida sit, ex conseruis florum rosarum, violarum, cichorij, nymphae, speciebus diarhodon Abbatis, diatrion Santalon, diamargariton frigidi & similibus parari debent.

## XCIX.

His admisceri possunt, quæ à proprietate articulos confortant, qualia sunt cornua cerui vsta, & ossa ceruina, aut bubula ex suris combusta, atq; in pollinem redacta, quibus Galenus libro vndecimo de simplicium medicamentorum facultatibus vim admodum dige-



digerentem exiccantemq; tribuit. Noui, inquit, nostratium quosdam ossa combusta potui exhibuisse, haud scientibus quidnam ebibissent, ne videlicet auersarentur, ac multorum tum epilepsiam, arthritidem curasse.

## C.

Ex plurimis antidotis ab Alexandro Tralliano libro vndecimo capite primo, & Paulo Aegineta libro tertio, capite septuagesimo octauo, & libro septimo, capite vndecimo, maximè commendatur ἀντίδοτον Ἰατρῶν τοῦ Ἀλεξάνδρου, que recipit anagallidis puniceum florem habentis, quam corallium, vocant, drachmas duas, garyophyllorum, folij, singulorum semunciam, radicis pœoniæ, rhei Pontici, singulorum vnciam, aristolochiæ longæ & rotundæ singulorum vncias duas, myrrhæ troglodytidis, spicanardi singulorum vncias quatuor. Contundantur omnia subtilissimè, & cribro transmittantur.

## CI.

Ærius tetrabibli tertij, sermone quarto, capite quadragesimo septimo, antidotum ex centaurijs confectam arthriticis adeò salutarem affirmat, vt multi per annos quindecim podagra correpti ipsius vsu pristinae sanitati sint restituti. Fit autem hoc modo: Comarum centaurij minoris, radicis centaurij maioris, trixaginis, gentianæ, aristolochiæ rotundæ, singulorum æquale pondus. Contundito & cribrato.

## CII.

D. Thomas Erastus, parte quarta disputationum de noua medicina Philippi paracelsi, duas alias antidotos arthriticas describit: Vnam sibi à D. Christophoro Vuirvingo communicatam, quæ cõstat aristolochiæ rotundæ veræ, gētianæ, R̄haponici, comarū chamædryos, chamæpituos, singulorū partibus æqualibus. Alteram sibi à D. Conrado Gesnero missam, quæ recipit aristolochiæ rotundæ veræ, gentianæ, rhei pontici, mei, singulorum vnciã, seminis petroselini Macedonici semunciam, comarum chamædryos, centaurij minoris, hyperici, singulorum scrupulos decem. Fiat ex omnibus puluis subtilissimus.



## CIII.

Galenus libro de theriaca ad Pisonem, capite decimo quinto, theriacam quoq̄ huic vsui accommodatam esse scribit, his verbis: Pedum insuper & aliorum omnium articularum doloribus ab influxione excitatis tunc præcipuè confert, quando tempus incrementi discesserit, & status vigor aduenerit. Oportet autem prius dolores mitigare, foris imponendo quippiam, quod ipsos lenire queat, inde theriacam bibere, quò fluxionem cohibeat. Nam & quæ iam illata fuerint absumit, & quæ mox inferentur, auertit. Maximè vero prodesse, quando quis ipsam sanus adhuc frequenter accipit, idcirco quia superfluitates humorum consumit, & totius corporis temperamentum immutat. Quo circa summopere suadeo, vt theriaca velint in talibus morbis vti, quoniam & superfluum humorem exiccat, & alium colligi non permittit, vnde plurimi in principio ex hac bibentes prorsus à podagra liberati sunt.

## CIIII.

Præscriptæ antidoti omnes frigidos & crassos humores incidunt, attenuant, atq̄ in halitum resoluunt, eosdemq̄ per sudores & vrinas propellunt & euacuant, ideoq̄ non temerè cuius præscribenda, sed illis tantum, qui vel frigido, vel non admodum calido sunt temperamento. Dantur singulæ pondere drachmæ vnius vel dimidiæ ex aqua primulæ veris, quolibet die, maturino tempore, coctione probe facta.

## CV.

Dum autem roborationi partium mittentium studemus, simul quoq̄ recipientium, hoc esse articularum affectorum ratio habenda, quibus succurrendum esse medicamentis topicis seu localibus, quorum tres præcipui sunt scopi, videlicet dolorem lenire & mitigare, materiam impactam sensim discutere atq̄ in halitum resoluere, & articulos affectos roborare.

## CVI.

Dolor leniri debet anodynis, quæ pro diuersitate causarum va-  
D
riant.



riant. Nam in causa calida conueniūt oleum rosaceum, violaceum, nymphaea, ranarum, populeum: unguentum rosatum Messia, populeum: Linimentum ex mucilagine seminis cotoneorum & psyllij extracta cum aquis rosarum, plantaginis & solani, addendo tantillum aceti, & aliquot grana caphurae: Cataplasma è pugillo medullae panis in lacte calido dissoluta, addita croci drachma dimidia: Ceratum rosaceum, quod fit ex florum rosarum vncia in aqua rosarum libra macerata percoctaq̄, expresso succo adduntur olei rosacei vnciae tres, ceræ sesquincia.

## CVII.

Quod si his dolor non cedat, narcotica, hoc est, quae stupefaciendi vim habent, sunt applicanda, quae fiunt, si praedictis anodynis portio quaedam opij permisceatur, Vt si vncis tribus olei, vel unguenti, vel linimenti, vel cataplasmi, vel cerati addatur drachma vna vel duae opij, plus vel minus.

## CVIII.

Ceterum narcoticorum liberalior vsus cauendus, vt quae maiorem saepe noxam, quam vtilitatem afferant. Nam si diutius partibus adhaereant, non modo torporem & mouendi difficultatem articulis inducunt, verumetiam humores compingendo topus efficiunt, atq̄ eosdem humores ab externis partibus ad interiores & principales detrudendo grauiora symptomata, vt epilepsiam, paralyin, cordis tremorem, & hydropem inducunt. Si igitur extrema necessitas eorum vsum requirat, non diu in articulis relinquenda, sed statim simulatq̄ dolor sedatus fuerit, remouenda sunt. Et si forte aliquam noxam intulerint, post vsum illorum articuli statim calidis medicamentis sunt refouendi.

## CIX.

Si vero dolor à materia frigida excitatus fuerit, plurimum conferent, oleum chamamelinum, anethinum, mastichinum, vulpium, lumbricorum terrestrium, linimentum è mucilagine seminis lini & faeni graeci extracta cum aqua primulae veris & salua, Cataplasma.



raplasma quod fit è pugillo panis albi infusi in decocto florum chamemeli, meliloti, primula veris, maiorana, absinthij & similia.

## CX.

Sedato dolore ad discutientia deueniendum, quæ spiramenta cutis rarefaciunt, tenuitate partium intrò penetrant, quodq; articulis inhæsit, attenuant, atq; resoluunt. In cum vsum potissimum conueniunt balnea, quæ parari debent ex florum Chamemeli, meliloti, primula veris, singulorũ manipulis tribus, herbarum absinthij, hyssopi, maiorana, origani, saluie, chamæpyrios, ruta, calaminthæ, ebuli, singulorũ manipulis duobus baccarum iuniperi libra, seminum anethi vncis sex, anisi, feniculi, singulorum vncis tribus. Bulliant in aque fontane quantitate ea, quam ad balneum sufficere putas, ad consumptionem tertiæ partis. In hoc balneo eger per octo dies continuos matutino tempore lauet spacio vnius horæ. Huc etiam faciunt thermæ sulphurea & nitrosæ.

## CXI.

Post balneum inungatur oleo costino, laurino, de baccis iuniperi, castoreo, euphorbio, vnguento Martiato, Aregon. Præ ceteris omnibus quam maxime confert aqua arthritica D. Iohannis Cratonis, quæ recipit lumbricorum terrestrium numero centum, iecur vituli recens numero vnum, saluie, rosmarini, vtriusq; manipulos duos, origani manipulum vnum. Lumbricis primum in vino ablutis, postea incisis omnibus affundantur vini albi veteris potentissimi libræ octo. Eliciat aqua in duplici vase. Plurimum quoq; prodest vnguentum de succo ebuli D. Iohannis Langij, quod fit ex olei mastichini libra, olei chamamelini libra semis, vermium terrestrium lotorum in vino libra, succi ebuli, ruta, vtriusq; vncis tribus, omnibus simul ad succorum consumptionem decoctis ac fortiter expressis, adduntur ceræ vnciæ tres, terebinthinæ lotæ vnciæ duæ semis, mixta in vnguenti formam rediguntur.

D 2

A dige-



## CXII

*A digerentibus vehementioribus ut sunt Euphorbium, sulphur, nitrum, sinapi, lepidium, helenij folia & radices, & similia, abstinendum, quæ tenuiore parte resoluta, reliquam cogunt atq; indurant, & sic articularum callos inducunt. Quod si necessitate coacti his uti velimus, relaxantia, quæ ipsorum vehementiam retundere possint, sunt admiscenda.*

## CXIII.

*Vbi materia tenuis & calida fuerit, in principio fluxionis repellentia ad dolorem sedandum præscripta sunt accommodanda, in augmento & statu discutientia admisceri debent, ut hac ratione simul quod in articulos adhuc insluit repellatur, quod vero iisdem iam impactum est, resoluatur. Atq; in augmento repellentia discutientium, in statu vice versa discutientia repellentium vim superent. In declinatione verò sola discutientia adhibeantur.*

## CXIII.

*Articuli affecti corroborandi sunt sale communi tenuissimè trito atq; cum oleo oliuarum permixto, ut docet Oribasius libro nono synopsis capite sexagesimo primo, Et libro quarto de locorum affectorum curatione capite centesimo decimo octavo. Aetius tetrabibli tertij, sermone quarto, capite vicesimo primo. Si autem intemperies calida fuerit, olei rosacei uncia tres: sin frigida olei chamæmelini, vel anethini, vel vulpini tantundem assumantur, quibus salis semuncia, hypocyttidis, acaciæ, malicorij, balaustiorum, gallarum, capularum glandium, singulorum drachma semis & cere quantitas sufficiens addatur, atq; in unguenti formam redigantur, quo singulis diebus manè & vesperi articuli prius iisdem simplicibus in aqua chalybeata decoctis fori illinantur. Hac enim ratione intemperies articularum corrigitur, laxitas constringitur, atq; excrementa consumuntur.*

## CXV.

*Tophi, qui Græcis τῶποι dicuntur, vel inconueniente medicamen*



caementorum administratione, vel diuturnitate morbi producuntur, quibus statim ab initio esse resistendum, prius quam confirmati plane incurabiles reddantur, de quibus Ovidius libro secundo Fastorum sic scribit: Soluere nodosam nescit medicina podagram.

## CXVI.

In curatione autem eorum ad causam tum materialem, tum efficientem esse respiciendum. Materia quatenus dura esse, emolliuionem, quatenus crassa discussione sui indicat. Medicamentis igitur utendum esse, partim emollientibus, ut sunt adipēs, medulla, ammoniacum, bdellium, opoponax, galbanū, laudanum: partim discutientibus, qualia sunt sal, nitrū, euphorbium & similia. Efficiens esse nimia vel caliditas, vel frigiditas. Si ergo tophi proueniant à caussa calida, emollientia: si à frigida, discutientia praeualere debent.

## CXVII.

Celebratissimum in nodis remouendis esse casens bubulus, vetustissimus, putris & vermiculosus, decocto suilla pernae sale condite dissolutus & diligenter in mortario tritus. Tophorum enim particulas sine ferro detrahitis & sanat, Galenus libro decimo de simplicium medicamentorum facultatibus. Paulus Aegineta libro tertio de re medica capite septuagesimo octauo. Orbasius libro nono synopsos capite quinquagesimo nono. Aetius tetrabibli tertij, sermone quarto, capite quadragesimo quinto. Plurimum quoque commendantur emplastra ex nucibus auellanis & cinnabari confecta ab Alexandro Tralliano libro undecimo capite primo. & Paulo Aegineta libro septimo capite decimo septimo.

## P R A E S E R V A T I O.

## CXVIII.

Quemadmodum curatio praesentem, sic quoque praeseruatio futurum morbum respiciens tribus praesidiorum materijs perficitur, videlicet diata, pharmacia & chirurgia.

D iij

Primo



## CXIX.

Primò enim providendum ne vitiosorum humorum prouentus in corpore colligatur, quod conueniente victus ratione, qua bonus & laudabilis sanguis procreatur, consequemur.

## CXX.

Cumq; etiam in optima victus ratione, propter interiorum viscerum imbecillitatem, superflui quidam humores coaceruentur, illi certis temporũ interuallis, præsertim vere et autumnò, vel phlebotomia, vel purgante aliquo medicamento sunt euacuandi, priusquam vel quantitate vel qualitate sua naturam ad expulsionem extimulent. Ad hæc partes tam mittentes, quam recipientes medicamentis præscriptis sunt corroboranda.

## CXXI.

Quod si præsidia iam dicta non suffecerint, cauteria vtriq; brachio quatuor digitis supra cubitum in parte carnosâ, vel pedibus quatuor digitis infra genu, pro diuersitate articulorum affectorum, sunt admouenda. Quemadmodum enim in curatione cauteria ipsis articulis affectis, deriuationis: sic in præseruatione partibus extremis & remotioribus, reuulsionis gratia adhibentur.

## CXXII.

Hæc verò non nisi benè prius vacuato corpore administrari, locaq; diu aperta teneri debent, vt superfluitates inde commodè expurgari possint. Quandoquidem assequemur si singulis diebus loco iniusto cicer, vel pisum, superposito hederæ folio, imponamus & obligemus. Alij ciceris loco pilulam ex cera formatam imponunt.





# M E T H O D I C A

Phthisis curatio.

## CAVSA FORMALIS.

### T H E M A I.



Phthisis à Symptomate, videlicet dicitur et  $\Phi$ θίσις, id est diminueri Græcis dicta est, quia totum corpus paulatim consumit atq; extenuat. Latine eadem ratione tabem vocant. Germani die Schwindsucht.

#### I F.

Vocabulum  $\Phi$ θίσις seu tabis, ut author libri definitionum medicarum, & Galenus commentario secundo in librum primum Epidemiorum Hippocratis, sectione decima tertia, docent, duobus modis usurpatur, primò generatim pro qualibet, vel totius corporis, vel alicuius partis extenuatione, quam etiam  $\alpha$ τρωσις, id est, marcorem vocant: Secundo speciatim pro consumptione corporis illa, quæ ulcera pulmonum consequitur, atq; hanc Græci, & præsertim Athenienses, proprio vocabulo  $\Phi$ θίσις appellat, ut tradit Galenus commentario decimi sexti aphorismi Hippocratis sectionis septima.

#### III.

Rursus  $\Phi$ θίσις speciatim sic dicta, medicis aliquando Symptoma, aliquan-



aliquando morbum denotat, & priore quidem significatione,  $\Phi$   $\theta$   $\alpha$   $\iota$   $\varsigma$  est Symptoma qualitatis corporis mutatae, in magnitudine imminuta consistens: Posteriore autem significatione,  $\Phi$   $\theta$   $\alpha$   $\iota$   $\varsigma$  est morbus soluta continuitatis, seu exulceratio pulmonum, à materia acri pulmones erodente excitata.

## I I I I.

Fernelius libro primo pathologiae capite septimo, phthisin inter morbos totius substantiae numerat, his verbis: Totius substantiae morbi sunt, qui partium substantiam primum & per se oppugnant. Horum alij manifesti sunt, alij occulti. Manifesti, qui partium corporisq; substantiam manifestis ex causis demoluntur, eiusmodi sunt ulcera maligna, phthisis, iecoris, lienis, aliarumq; partium putredo, ex primarum qualitarum intemperie nata. In eandem sententiam scribit, libro secundo de abditis rerum causis, capite vndecimo: Morborum totius substantiae, inquit, alij quidem manifesti sunt, alij occulti. Manifesti, ut scabies, phthisis, horumq; similes.

## V.

At si phthisis morbus totius substantiae dici debeat, illud fiet, vel ratione ulceris pulmonum, vel putredinis humorum, vel febris hecticae, vel extenuationis corporis. Ex tot enim affectibus praeter naturam phthisis est constituta. Sed nec ulcus, nec putredo, nec febris hectica, nec extenuatio corporis, morbus totius substantiae dici potest. Nam ulcus est solutio continui: putredo humorum, quatenus intemperiem seu inflammationem partium, vel solutionem continui vasorum consequitur, symptoma immodicae excretionis, vel retentionis, quatenus verò pulmones erodit, causa est: Febris hectica est intemperies calida & sicca: Extenuatio corporis, symptoma ad effectus corporis pertinens. Quamobrem phthisis non est morbus formae, seu totius substantiae.

## V I.

Et quamvis putredine forma spirituum, humorum & partium solidarum corrumpatur: tamen propterea morbus formae, seu totius sub-



substantiæ dici nequit. Neq̄ enim putredo formæ, vel mixti, quatenus formæ particeps est, sed corporis mixti, quatenus mixtum, affectio est. Nam formæ per se primò non patiuntur, sed per accidens tantum, quatenus scilicet subiectum, cui insunt, alteratur.

## VII.

Adhæc putredo illa, vel iam facta est, vel adhuc fit. Quæ iam facta & absoluta est, morbus esse nequit, cum forma partis iam corrupta sit, & rei corruptæ non sit morbus, sed interitus. Quæ vero fit putredo, nihil aliud est, quam alteratio à primis qualitativibus inter se pugnantibus producta, in qua pugna qualitates passivæ activas, veluti in generatione activæ passivas superant: Quare si putredo illa fiens morbus est, non formæ, sed intemperiei potius morbis annumerari debet.

M A T E R I A   S E V   S V B -  
I E C T V M.

## VIII.

Pars affecta sunt pulmones, qui cum cerebro subiecti sint, excrementa eius facile suscipere possunt. Est autem caro pulmonum mollis, fungosa & rara, ut follis instar aëre impleri, atq̄ distendi citra noxam possit: ideoq̄ ab humoribus acris promptè eroditur atq̄ exulceratur, ut Galenus libro primo de locis affectis, capite primo annotat.

## IX.

Ac pulmonum quidem aliquando dextra, aliquando sinistra, aliquando etiam utrâq̄ pars ulcere afficitur. Sunt enim pulmones inter septentium membranarum medio inuicem dirempti, sic ut dextra pars sinistra propriæ substantiæ interuentu neq̄ continua, neq̄ contigua sit. Quod singulari Dei providentia factum est, ut uno pulmone læso, & sæpe penitus absumpto, alter adhuc officio suo fungi possit.

## X.

Et si verò author libri definitionum medicarum in phrasi non

E

tantum



tantum pulmones, verum etiam thoracem, asperam arteriam, & fauces exulcerari tradit, quod harum quoque partium vlcus tussicula, febris, ac totius corporis consumptio consequatur: tamen phthisis proprie nulla fieri potest, nisi simul substantia pulmonum per consensum afficiatur.

## CAUSAE EFFICIENTES.

### XI.

Phthisis, ut & aliorum morborum ab humore originem suam habentium, tres sunt causa, auctore Galeno libro primo de causis pulsuum capite primo, videlicet, euidentes seu externae, antecedentes, & continentes.

### XII.

Causa externae necessarid occurrentes sunt aeris intensus calor & frigus. Ideo Galenus commentario in aphorismum decimum sextum Hippocratis sectionis tertiae, morbos tabificos duas has tempestates consequi tradit, tum summe frigidam, qua vas aliquod instrumentorum respirationi seruientium rumpatur, tum calidam humiditate adiuncta, qua caput repletum ad pulmonem fluxiones ableget. Et licet frigidum per se rupturas non facit: tamen venarum tunicas frigiditate sua duras atque ad extensionem ineptas reddit, vnde postea facile rumpuntur.

### XIII.

Aretius libro primo de signis & causis morborum diuturnorum capite octauo, regiones frigidas & humiditas huius affectus germanas esse scribit.

### XIIII.

Ex anni temporibus ver propter humorum fusionem, & Autumnus propter frigiditatem & siccitatem ac temporis inaequalitatem tabidis maxime sunt noxia. Vnde Hippocrates libro sexto Epidemiorum sectione septima: Tabescentibus autumnus malus. Malum item ver, cum fici folia cornicis pedibus similia fuerint.

Aestate



## XV.

*Æstate sicca & aquilonia, Autumno verò pluuioso & australi, vehementes capitis dolores in hyemem, & tusses, & rauitates, & grauedines, nonnullis etiam tabes expectanda. Hippocrates aphorismo decimo tertio sectionis tertie.*

## XVI.

*Cibi quoq; vitiosum & acrem succum generantes, pulmones erodere atq; phthisin inducere possunt. At lepus marinus per idio-corynagias, id est, proprietatem temperamenti pulmones exulcerat, ut testatur Galenus libro primo de compositione medicamentorum secundum genera capite primo.*

## XVII.

*Præterea clamores, & quilibet motus corporis vehementiores, venas pulmonis & pectoris tendunt, ex tensione autem ruptio & tabes. Quamobrem Hippocrates Aphorismo vicesimo nono sectionis tertie, & aphorismo nono sectionis quinta, tabem is maxime ætatibus fieri docet, quæ à decimo octauo anno sunt, vsq; ad tricesimum quintum, hoc est, adolescentibus & iuuenibus. Nam quæ ab anno decimo octauo est ad vicesimum quintum adolescentium est ætas: Inde vero quæ ad tricesimum quintum intercedit, iuuenibus est attributa. Tabes vero & sanguinis expuitiones adolescentibus & iuuenibus accidunt non ratione ætatis, ut rectè Galenus in commentario monet, sed ex accidenti ipsius quopiam, videlicet saltu, nimia vocis contentione, vehementi clamore, vel simili quadam occasione, qua vasa pulmonum disrumpuntur.*

## XVIII.

*Causæ externæ non necessariò occurrentes sunt vulnera in thorace & partibus pulmoni vicinis facta. Adhæc fortis ictus, aut casus ab alto super easdem partes. Nam propter solutionem continui sanguis in thoracis cauitatem effunditur, qui putrescens pulmones erodit.*

## XIX.

*Huc etiam referri potest contagium, de quo Galenus libro primo*



primo de differentiis febrium capite secundo sic scribit: *Est etiam eorum, qui tunc correpti sunt, consuetudo nequaquam secunda, atque omnino eorum, qui putridum expirant, adeo ut domus, quas habitant, foetidum exhalent odorem.*

## XX.

*Causae phthisis antecedentes sunt duae, videlicet partes solidae & contenta seu humores.*

## XXI.

*Partium vitium vel in temperamento, vel structura consistit. Nam intemperies tum totius corporis, tum quarundam eius partium actiones naturales ledit, quibus laesis excrementa gigni necesse est, quae phthisin procreant. Propterea Galenus commentario tertio, in librum tertium Epidemiorum Hippocratis, sectione septuagesima, frigidam & humidam temperiem phthisi aptam esse testatur. Sic imbecillitas capitis ex intemperie aliqua contracta, excrementa in cerebro colligit, quae per peluim ad fauces, atque inde per tracheam arteriam ad pulmones delata ipsos erodunt, ut docet Galenus commentario primo in librum primum Epidemiorum Hippocratis sectione decima octava. Eodem modo biliosus & acris sanguis ex hepate per venam caavam ascendentem in sinistram ventriculorum cordis, atque inde per venam arterialem in substantiam pulmonum effusus, eam sua acrimonia exulcerat. Ita si pulmones imbecillitate quadam nativa vel acquisita proprium alimentum in sui substantiam convertere nequeant, plurima excrementa generari necesse est, quae propter debilitatem facultatis expultricis in pulmonibus retenta computrescunt, eoque modo acriora simul & calidiora reddita pulmones exulcerant, & phthisin procreant.*

## XXII.

*Vitiosa quoque structura thoracis homines ad phthisin proclives reddit. Nam qui angusto sunt pectore, sic ut illis scapulae a carne nude sint, atque alarum instar promineant, retrosumque producantur, unde etiam ἀεργώδες, hoc est, alati medicis dicuntur, phthisi maxime sunt obnoxii, ut testatur Hippocrates & Galenus commentario*



tertio in librum tertium Epidemiorum sectione septuagesima. Nam qui angusto sunt thorace, irruente leui etiamnum humorum multitudi-  
 ne, vasorum ruptio maximè sunt obnoxij, quod in sputorum  
 expulsionem pulmonem, propter angustiam thoracis, coarctari necesse  
 sit, atq; ex illa coarctatione facile vas aliquod pulmonis rumpi po-  
 test. Probabile verò est angustiam pectoris imbecillitatem nativæ  
 caloris qui pectus dilatare non potuit, consequi.

## XXIII.

Aliquando etiam mensibus vel hæmorrhoidibus suppressis, sanguis in pulmonem recurrit. Solet enim natura, quod per uterum vel anum purgare consueuerat, aut debuerat, nunc impedita, ad vasa pulmonis retrudere, eaq; rumpere, vnde fit hæmoptica passio, à qua tandem phthisis oritur.

## XXIII.

Humores vel in pulmone debili colliguntur, vel aliunde videlicet toto corpore, vel aliqua ipsius parte ad pulmones transmittuntur. Vt plurimum autem humores vel à catarrho salso & acris: vel ruptione vasorum pulmonis: vel inflammatione in suppurationem versa producuntur.

## XXV.

De catarrho in hunc modum scribit Galenus libro sexto de tuerenda sanitate capite nono: Quod si acris fluxio sit, non solum ad vocem ineptæ prædictæ partes fiunt, sed etiam grauissima quedam erosio his accedit, quæ talis est naturæ, quales sunt, quas subinde in cute citra externam causam læsa factas videmus. Ita vero & pulmo his ulceratus, & morbus tabes dicitur. Græcè Πύον. & commentario tertio in librum sextum Epidemiorum Hippocratis, sectione decima octaua: Destillationes à capite in pulmonem descendentes, tunc malignas esse putandum est, si ea quæ destillant tenuia fuerint, viq; erodendi prædita. Hæc sane neq; in pulmone morari tamdiu conuenit, quoad concocta crassescant, quemadmodum alias fluxiones ex tenui quidem materia, sed non corrosiua & agrè matu-



rescente constantes: neq̄ rursum statim expelli. Intus enim morātia non facile concoquuntur, viscusq̄ ipsum lacerare depræhenduntur: si excernantur autem, tusses violentas commouent, ob quas caput repletur, ipsumq̄, rursus in pulmonem materias depellit, atq̄ ob tussis vehementiam, ne aliquod in ipso vas rumpuntur, metus est. Quales plane tussis illis accidere solet, qui humores tenues & aqueæ substantia difficulter ex pulmonibus reiciunt. Ascendunt enim ipsi à spiritu per tussim emisso sublaci. Quod si tenues & aquei sint, disperguntur, & contra spiritus motum prius delabuntur, quam totam asperam arteriam egressi sint. Verum est igitur noxam sequi, siue in pulmone humores isti remaneant, siue euacuentur. Et Hippocrate: aphorismo tricesimo octauo sectionis septimæ: Destillationes in ventrem superiorem ad suppurationem perueniunt intra dies viginti.

## XXVI.

Rupto vase, sanguis è proprio conceptaculo in thoracis cavitatem excidens putrescit, ac putredine sua acrimoniam quandam acquirit, qua substantiam pulmonum erodit. Ideo Hippocrates aphorismo viceesimo sectionis sextæ. Si in ventrem sanguis præter naturam effusus fuerit, inquit, is suppuretur necesse est. Et aphorismo decimo quinto, ac decimo sexto, sectionis septimæ: A sanguinis spuro, puris sputum, & à puris spuro phthisis.

## XXVII.

Abcessus vel laryngis, vel laterum, vel pulmonum inflammationem consequitur. Nam vt cæterarum corporis partium, sic etiam pulmonum, laterum & laryngis inflammationes non semper eodem modo terminantur, sed aut omninò calor natiuus superior est, aut omninò externus & asciticus, aut res quasi medio modo se habet, nempe quia neq̄ natiuus, neq̄ extraneus alterum superat. Et si quidem natiuus calor omninò superior fuerit, nulla sequitur suppuratio, nullus abcessus, sed per resolutionem materię inflammatio soluitur, & hic terminus est optimus. Sin autem externus & asciti-



ascititius calor penitus superet nativum, pars omninò corrumpitur & putrescit, quo modo fiunt gangrenæ, & sphaceli, quæ quidem terminatio pessima est. Quando vero non omninò alter calor alterum vincit, tunc inflammationes in abscessum vertuntur & suppurantur. Quamobrem Hippocrates aphorismo decimo sectionis quintæ sic scriptum reliquit: Quibus ex angina in pulmonem mali fit conversio, ij intra dies septem moriuntur: si vero hos effugerint, purulenti evadunt, Et aphorismo octavo eiusdem sectionis: Qui pleuritide laborant, nisi intra dies quatuordecim supernè repurgentur, ijs in empyema fit mali translatio. Et aphorismo decimo quinto eiusdem sectionis: Qui ex pleuritide empyi fiunt, si à ruptione empyematis intra dies quadraginta repurgentur, liberantur, alioqui transeunt in tabem.

## XXVIII.

Causa continens & immediata pthihsis est humor acris pulmones actu erodens. Nam vlcus in pulmone fieri non potest, nisi adsit materia acris, quæ vel putrida est, vel putredinis expers.

## D I F F E R E N T I A E.

## XXIX.

A forma: Vlcerata pulmonum quedam sunt simplicia & evn̄ta, quæ symptomata non habent à communium vlcerum more abhorrentia: Alia: κενον̄τα & ἐσώματα καὶ φαρδύμια, in quibus nativa pulmonum temperies adeò vitiatur, vt etiam optimum sanguinem ipsis à natura distributum in sui substantiam transmutare nequeant, sed ipsum corrumpant.

## XXX.

A materia seu parte affecta. Quamvis in pthihsis substantia pulmonum semper simul afficiatur: tamen primarius affectus, id est, vlcus, aliquando in carne pulmonum, aliquando in ipsius vasibus, aliquando in aspera arteria, aliquando in thorace deprehenditur.

A cau-



## XXXI.

*A causis efficientibus. Phthisis alia à catarrho salso & acris: alia à ruptione vasorum pulmonis: alia ab inflammatione in sup-purationem versa producitur.*

## XXXII.

*Ab ortu seu origine. Phthisis alia est per ιδιοπαθειαν, ή πρω-παθειαν, quando pulmones primario afficiuntur, hoc est, quando materia phthisin efficiens in ipsis pulmonibus imbecillitate hereditaria vel acquisita laborantibus colligitur: Alia per συμπαθειαν, ή δεσποπαθειαν, ή υστεροπαθειαν, hoc est, per consensum, quando materia phthisin procreans aliunde, videlicet vel toto corpore, vel aliqua ipsius parte, vt cerebro, hepate, vtero, thorace, aspera arteria, larynge, ad pulmones transmittitur. Hanc differentiam exprimere videtur Galenus commentario primo in librum primum Epidemiorum Hippocratis sectione decima septima, his verbis: Tabis duæ sunt maxima differentia: Vna ex illis, quos caput demittit, fluxibus constat: Altera qua ex affectibus ipsius pulmonis proficiscitur, omninoq; postquam expuitur sanguis, potissimum vase rupto: sæpenumero etiam fluxione impleto viscere hoc alia de causa ex partibus aliis, non ex capite.*

## XXXIII.

*Aurelius Cornelius Celsus libro tertio de re medica capite vicefimo secundo tres tabis species ponit. Vna est, qua à τοφία Græcis dicitur, estq; symptoma actionis nutritiua, alimentum malè attrahentis, vel retinentis, vel concoquentis, vel superflua excrementa malè expellentis, vnde nutritio debilis & à perfecta assimilatione deficiens sequitur. Quotiescunq; enim nutriens facultas læditur, necesse est vna vel plures ex quatuor naturalibus facultatibus ministrantibus esse affectas. Altera tabis species est, quam Græci νεφελία appellant, vbi malus corporis habitus est, ideoq; omnia alimenta corrumpuntur, vt fit in elephantosis & hydropicis. Sed tamen hæc species commodè ad priorem reduci potest. Tertia species est*



est longe periculosissima, quæ ulcera pulmonum consequitur, & Phthisis proprie dicitur.

## SIGNA DIAGNOSTICA.

## XXXIII.

Ut Symptomatum, ita etiam signorum phthisin demonstrantium tria sunt genera, quorum alia ab actionibus læsis, alia ab excrementis mutatis, alia à partium affectibus desumuntur.

## XXXV.

Ab actionibus læsis. Pulsus phthisicorum est parvus & languidus, propter facultatis imbecillitatem, & modice celer, propter calorem præter naturalem. Galenus libro quarto de causis pulsuum capite vndecimo, & libro de pulsibus ad Tyrones capite vndecimo, Difficultas anhelitus, à materia putrida in pulmonib. collecta bronchia, per quæ aër transire debet obstruente. Tussis frequens, propter materiã quantitate & qualitate vitiosã, naturã ad expulsionem irritantem. In quibusdam etiam tussendi cupiditas est, nec quicquam dignum commentatione expuunt, cuius rei causa triplex est, teste Galeno commentario secundo in prognostica Hippocratis, sectione sexagesima, tum puris ipsius lentor & crassitudo, tum continentis pulmonem membranulæ densitas, tum etiam debilitas in ægro facultatis. Vigiliæ, propter crebram tussim, quæ noctu potissimum ægros exercet. Nutritio singularum corporis partium vitiata, ob calorem eorum natium languescentem. Nam à sanie & sordibus in ulcere pulmonis collectis, aura quadam maligna in cor erumpit, quæ spiritus & caloris à corde in vniuersum corpus influentis robur frangit atq; debilitat, à quibus languetibus, & qui est in singulis partibus calor debilitetur necesse est, sicq; atrophia ulceris pulmonis perpetuò comes est. Et cū confirmata tabes fuerit, etiam cibum fastidiunt, appetendi scilicet facultate pariter cum aliis moriente.



*Ab exeunte mutato. Phthysicorum alij prius cruentum expu-  
unt, deinde purulentum: Alij primum humorem liquidum & sub-  
flauum, ac tandem sanguinem cum pure excreant. Proprium item  
ulcerationis indicium est vocatum ramentum, seu crustula qua-  
dam eius particula, à qua excernitur, ἐπελκίς Græcis dicta. Ali-  
quando etiam bronchium, vel portio pulmonum, aut vasorum simul  
reijcitur. Urinæ aliquando naturales, interdum oleagineæ, vel fur-  
furæ, propter corporis colliquationem, Sudores continui eliciuntur,  
ob virium debilitatem, eò quod diductum alimentum discutitur.  
Alui quoq; profluvium aliquando superuenit, naturali facultate de-  
bilitata.*

## XXXVII.

*A qualitate corporis mutata. Phthysin perpetuò comitatur to-  
tius corporis exgenuatio propter actionem nutrientem lesam. Pro-  
cedente vero tempore, facies cadaueris speciem representat, qualis  
describitur ab Hippocrate & Galeno commentario primo progno-  
sticorum, sectione sexta, & septima, videlicet nares acuminatae &  
graciles, oculi concaui, collapsa tempora, aures frigidae contractæq;  
& cutis circa frontem dura, intenta, arida. Capilli eorum desluunt  
ob penuriam sanguinis & alimenti: ungues curuantur, quia car-  
nes, quæ ipsorum extremitates replent, extabescunt: pedes intume-  
scunt, totius corporis extinctione ibi incipiente, quippe quod partes  
illæ à fonte caloris longissimè absunt.*

## XXXVIII.

*Phthisis quoq; febrem exiguam, lentam, putridam ac sympto-  
maticam adiunctam habet, è genere febris continuæ quotidianæ, ut  
testatur Galenus commentario in aphorismum duodecesimum Hip-  
pocratis sectionis primæ, quæ ab ulcere pulmonum, fumos putridos  
cordi communicante, ortum habet. Cum enim pulmo sedem ha-  
beat cordi coniunctissimam, eiq; vasis quam maximè affinis sit, qui-  
bus sanguis in utrumq; sinum per maxima ostia influit, celerrimam  
& omni-*



& omniū maximam noxam ipsi communicare potest. Quamobrem  
 si quando pulmo solito calidior euaserit, continuo cor calefacit. Ga-  
 lenus libro quarto de causis pulsuum capite secundo. Febris autem  
 illa putrida tandem in hecticam transit, ac caterarum hecticarum  
 more mox à cibo inualefcit, noctuq; magis affligit. Idq; omnibus he-  
 ctica febre laborantibus accidit, non ratione affectionis, sed ex acci-  
 dente quodam, videlicet propter alimentum. Perspicue enim appa-  
 ret intercidere calorem febrilem vià cum tempore alimenti, sta-  
 timq; adhibito cibo augeri, & quàm maximè vehementem per didu-  
 ctionem illius apparere. Nam febribus hecticis partes corporis so-  
 lidæ calidiores redduntur, propterea febris semper sibi similis ma-  
 net, calorem obtinens, perinde vt calx, debilem contingentibus.  
 Itaq; quoties edunt ac bibunt, simile quiddam illis accidit, quod in  
 calce euenit, aqua perfusa. Alimentum enim ad membra habituali  
 calore affecta delatum effumat, instar aque frigide supra calcem  
 viam sparse. Quo fit, vt si eo tempore agri exterius contingantur,  
 multo calidiores appareant. Galenus commentario secundo in pro-  
 gnostica Hippocratis, sectione sexagesima.

## XXXIX.

Signa causarum externarum ex relatu agri haberi possunt. Si  
 sit à catarrho acri & mordace, ex dolore capitis, & saliuā saporem  
 falsum referente: Si à rupto vase, ex multitudine sanguinis spumosi  
 tussi reiecti: Si ab inflammatione in suppurationem versa, ex  
 peripneumonia, pleuritide, vel angina precedente cognoscitur.

## XL.

Si in pulmonis parenchymate exulceratio fuerit, plurimum  
 erit, quod per sputum reijcitur, idq; sine dolore, aliquando etiam  
 portio ipsius carunculae per tussim reijcitur. Orto vero in aspera  
 arteria vlcere, præter hoc quod exigua sunt quæ screantur, dolorem  
 quoq; in loco affecto laborans sentit, & nonnunquam bronchium tussi  
 expuit. Similiter si vena, vel arteria exulcerata fuerit ipsarum



portionem tussiendo reijci necesse est. Quod si in thoracis aliqua parte doloris sensus adsit, exulcerationem ibidem consistere censendum est.

## XLI.

Pulmo in gangrenam verti non potest. Nam propter vicinitatem cordis hominem prius mori oporteret. Quando vero ulcus pulmonis ad gangrenam tendit, ex difficultate respirationis, retro anhelitus fatore, sputo feculento, fatido ac nigro cognoscitur.

## SIGNA PROGNOSTICA.

## XLII.

Phthisis inueterata omninò nullam curationem admittit, præsertim si sputum carbonibus inspersum grauem nidorem oleat, vel aque marine iniectum, ad fundum subsideat, vel capilli de capite defluant, vel profluuium alui accedat. Hippocrates in coacis prænotionibus.

## XLIII.

Qui tabe molestantur, si sputum quod tussi excernunt, carbonibus iniectum grauius olet, & capilli à capite defluunt, lethale. Hippocrates aphorismo undecimo sectionis quintæ. Nam fætor sputi malam putredinem, qua spiritus vitales in corde extinguuntur, significat. Capillorum profluuium, aut succorum prauitatem, aut alimenti inopiam consequitur. Succorum prauitas, cum ad pilorum profluuium deducit, corruptionem magnam ostendit. Alimenti verò inopia summam consumptionem indicat.

## XLIIII.

Quibuscunq; tabe laborantibus capilli capitis defluunt, ij fluxu ventris superueniente moriuntur. Hippocrates Aphorismo duodecimo eiusdem sectionis.

## XLV.

Si tabe detento profluuium alui superueniat, lethale, Hippocrates



res aphorismo decimo quarto eiusdem sectionis. Quod quidem de eo alui profluuium, quod facultatis naturalis imbecillitatem consequitur, esse accipiendum. Nam si à destillatione in stomachum conuersa contingat, non semper lethale esse.

## XLVI.

A puris sputo phthisis & fluxus. Cum vero sputum retentum fuerit, mcriuntur. Hippocrates aphorismo decimo sexto sectionis septimæ. Cum enim sputa intus remanent, respirationis via obstruuntur, & sic ægri suffocantur.

## XLVII.

Ex iis qui vlcus in pulmone habent, ij demum mihi insana- biles esse videntur, qui ex succi vitiosi erosionem id possident, quorum aliqui ceu saluginem sputum suum sentire se aiunt. Nam longo arbitror tempore opus esse, vt succi corrigatur vitium. In tempore vero necesse esse duorum alterum, aut siccando vlcus ceu callum fieri, eoque fore omnino insanabile: Aut non siccando, tum ipsum putrescere, tum quæ circa sunt depascere, atque ita spatium pulmones putrefacere. Galenus libro quinto methodi medendi capite decimo quarto.

## XLVIII.

Vlcera pulmonum etiam recentia difficilimè sanari possunt duabus de causis, primum ratione situs, quia medicamenta primo contactu ad locum affectum peruenire non possunt, atque in transitu plurimum virium amittunt. Deinde ratione expurgationis. Nam citra tussim pulmones expurgari nequeunt. Tussi vero ad expellendam materiam in thoracis cavitatem & propria substantia collectam vehementiore impetu commouentur, qua commotione vlcera dilacerantur. Et quamuis medicamentis glutinandi & exiccandi vim habentibus vlcibus pulmonum nonnunquam callus quidam inducatur, cuius beneficio homines aliquandiu viuere possunt: tamen processu temporis leui de causa iterum recrudescunt atque disrum-



punctur, unde contingit, vt & crusta vlceri obducta, & modica sanguinis gutta denuo per sputum reijciantur, atq; ita redeat labor actus in orbem. Galenus libro quinto methodi medendi capite undecimo.

## XLIX.

Vlcera pulmonum ex rupto vase orta, si inflammatio consequatur insanabilia sunt, Galenus citato jam loco.

## INDICATIONES CV.

## R A T I V A E.

## L.

Indicationes curatiue à specie morbi, causis efficientibus & parte affecta desumuntur.

## LI.

Morbus est vlcus pulmonis. Vlcus autem est morbus compositus ex soluta vnione, & imminuta magnitudine, quia particula quadam in pulmone deperditur. Quatenus igitur est solutio continui, consolidationem & conglutinationem: quatenus vero cauum, in quo amissa est caro pulmonis, repletionem indicat.

## LII.

Ad regenerationem carnis duo sunt necessaria, primò causa efficiens, videlicet temperies partis seu pulmonum, à qua veluti artificice caro generatur: Deinde materia ex qua, videlicet sanguis bonus & laudabilis. Si igitur pulmones intemperie quadam affecti fuerint, oritur indicatio alterandi per contraria: sin vitium fuerit in sanguine, illud erit ratione qualitatis vel quantitatis. Qualitas alterationem, quantitas euacuationem indicat.

## LIII.

Cum vero in regeneratione carnis & nutritione pulmonum, vt ceterarum quoq; corporis nostri partium, teste Galeno libro tertio methodi medendi capite tertio, Duplicia excrementa generentur,

vnum



vinum tenue & aquosum, quod Grecis ἕρως, latinis sanies dicitur: alterum crassum, quod Græcè πύπς, latine sordes appellatur, quæ generationem carnis impediunt, ratione crassi abstergendi, ratione vero tenuis exsiccandi indicatio oritur. Medicamenta igitur ipsum vlcus respicientia, tum abstergentia, tum exsiccantia, et consolidantia esse debent.

## LIIII.

Et cum humores non tantum in pulmonibus colligantur, sed etiam sæpe aliunde effluant, oritur indicatio humores influentes euacuandi, reuellendi & diuertendi, & corroborandi partes, ne excrementa sua in posterum ad pulmones transmittant.

## LV.

Pulmones quia in profundo corporis siti sunt, vehementiora auxilia requirunt. Cum enim magna sit distantia inter os & pulmonem, ac medicamenta prius ad pulmonem non perueniant, quam in ventriculo & iecinore permutentur, vires suas integras reseruare nequeunt, Sed in permutatione illa multum virium amittunt, ideoq; vim illorum intendi necesse est. Præterea vt ad locum affectum quam primum perueniant, tenuitate quoq; partium opus habent.

## D I A E T A.

## LVI.

Aer, in quo phthisici versentur, qualitibus actiuis, videlicet caliditate & frigiditate sic temperatus, passiuus ad siccitatem declinet. Vnde etiam Galenus libro quinto  
methodi



methodi medendi capite duodecimo phtihisicos & Tabias ablegat, ubi aer siccus. Et Aretaeus libro primo de morborum diuturnorum curatione Capite octavo eosdem ad mare amandat, quod aër ibi propter marinam saluginem ad siccitatem vergat. Nihil enim est, quod pulmones magis exiccare possit, aere sicco per inspirationem attracto. Reliquos aeris excessus omnes, videlicet caliditatis, frigiditatis & humiditatis fugiant.

## LVII.

Cibi sint, & euchymi, ut corpus emaciatum instaurent, & cõcoctu faciles, quod calor nativus imbecillus sit, et liquidi ac tenues, ut vias phtihisicorum ob siccitatem contractas facilius subeant atq; penetrent. Conveniunt igitur juscula ex auena, hordeo, amygdalis dulcibus, cereuisia, additis ouorum vitellis, & sacchari, vel mellis quantitate ad saporem dulcem conciliandum sufficiente. Pultes ex auena, hordeo, oriza, amylo & mica panis albi cum lacte caprino cocti. Commendantur quoq; pisces squamati, potissimum vero cancri fluviatiles, carnes minutarum aunum, perdicum, pullorum gallinaeorum, testiculi gallorum, oua sorbilia, contusum carniuum, pedes vitulorum, porcorum & haedorum, praesertim tempore conglutinationis.

## LVIII.

Etsi vero phtihisici multo alimento opus habent: tamen cum partes ad trahendum & coquendum inualidae sint, ipsis parum & saepius, quam multum alimenti vna vice offerre conuenit.

## LIX.

Ceterum lac caprinum inter omnia cibaria primum sibi locum vendicat. Nam & bonum succum generat, & facile à natura coquitur atq; distribuitur.

## LX.

Sed non tantum alimenti, verum etiam medicamenti rationem obtinet, & vlceri pulmonum conuenit. Serosa enim sua substantia  
 vlcera



ulcera repurgat, caseosa glutinat. Igitur seroso vitimur, cum detergendum est: vsulato, hoc est, in quo ferrum candens sit extinctum, cum glutinandum. Hoc enim modo partes serosæ, tenues & abstergentes subtrahuntur, crassiores verò caseosæ & nonnihil adstringentes relinquuntur. Ac tempore quidem absterisionis, hyssopus, satyreia, thymus, prassium, sceniculum, absinthium: tempore verò consolidationis polygonum, bur sapastoris, sanicula, alchimilla & similia, capris exhiberi possunt.

## LXI.

Dandum verò est lac saccharo permixtum, vacuo ventriculo, & mundato ventre, cum sua natura facile corrumpatur, maxime in ventriculo impuro. Nam in frigido ventriculo corruptum, acidus: in calido verò nidorosus ructus parit. Ventriculus igitur decocto gallini pharmacia descripti est expurgandus.

## LXII.

Hic illud quoq; est obseruandum, quod Hippocrates aphorismo sexagesimo quarto sectionis quinta monet, lac caput dolentibus, hypochondria elata aut murmurantia habentibus, febriculosus & siticulosus esse malum. Quibus enim humor ex capite ad pulmones destillans phtthisin excitat, iis ex lacte effumationes ad caput ascendentes dolorem augent, hypochondria elata habentibus acescit, febriculosus & siticulosus in nidorem conuertitur & aduritur.

## LXIII.

Cibos omnes acres, acidus & salsos, cum aceto, raphano maiore, sinapi, cœpis, garyophyllis, pipere, zinzibere & aliis aromatibus calidis preparatos fugiant. Croco, passulis, amigdalibus, saccharo & melle conditis vii possunt,



## LXIIII.

Potus, vbi valida febre tabidi corripuntur, sit aqua hordei, cum radice glycyrrhica, passulis, ficibus & semine anisi decocta: Si verò febris remissa sit, aqua mulsæ, Interdum etiam vinum album ac tenue, vel cereuisia tenuis exhibeatur.

## LXV.

Vitanda est repletio & inanitio. Inprimis autem Veneris usus periculosus, qui vires iam ante debilitatas adhuc magis proster- nit, corporiq; alimentum subtrahit. Si aluus adstricta sit, prunis dulcibus coctis ante reliquum cibum assumptis, vel etiam lenissimis clysteribus aut glandulis promoueatur.

## LXVI.

Exercitiis vtantur ante cibum moderatis, caueant à clamore, frequenti locutione, labore, omniq; corporis motu vehementiore, quo corpora incalescunt.

## LXVII.

Somno moderato eoq; nocturno indulgeant: diurnum, qui caput vaporibus replet, ac destillationes ad pulmones prouocat, denitent.

## LXVIII.

Omnes animi motus vehementiores, præsertim iram & tristitiam comescant, qui corpora exiccant atq; conficiunt.

## C H I R V R G I A.

## LXIX.



Si corpus multo sanguine abundet, & vires adhuc valeant, nec  
 etas dissuadeat, vena aperiatur, si phthisis sit à catharro acri & sal-  
 so, cubiti externa, quam humeralem seu cephalicam vocant: si à ru-  
 pto vase pulmonis, interna, quam iecorariam siue hepaticam & ba-  
 silicam appellant: si verò à mensibus, vel hæmorrhoidibus suppres-  
 sis, crurum tum poplitis, tum malleolorum.

## LXX.

Vbi autem magna copia sanguinis non aderit, ægerq; debilis fu-  
 erit, cucurbitule apponantur, cum vel sine scarificatione, siquidem  
 materia à capite transmittatur, cervici & scapulis: si verò à iecino-  
 re vel utero, genibus & coxis, vt hac ratione sanguis à parte affecta  
 auertatur.

## LXXI.

Præter cucurbitulas non erunt prætermittendæ ligaturæ &  
 frictions, quæ pariter vim habent sanguinem à loco affecto retra-  
 hendi. Si igitur materia phthisin generans à capite, vel iecinore ad  
 pulmones delabatur, tam brachiis, quam cruribus: si verò ab utero,  
 cruribus tantum adhiberi debent.

## LXXII.

Catarrho inueterato, cauteria admouere oportet, pectore in or-  
 bem inusto, vt docet Cornelius Celsus libro tertio, capite vicesimo  
 secundo: Si vehementior noxa est, inquit, ac neq; febricula, neq; tuf-  
 sis quiescit, tenuariq; corpus apparet, validioribus auxiliis opus est.  
 Exulcerandus est ferro candenti, vno loco sub mento, altero in gut-  
 ture, duobus ad mammam vtramq;, Item sub imis osibus scapula-  
 rum, quas ἰμοσθῶδες Græci vocant, sic ne sanescere vlcera sina-  
 mus, nisi tussi finita, cui per se quoq; medendum esse manifestum est.



Eundem vstionis modum describit Aetius tetrabibli secundi, sermone quarto, capite quinquagesimo septimo, & sexagesimo septimo.

## L X X I I I .

Si ex abscessu rupto pus in thoracis cavitae collectum sit, atq; inde phthisis ortum habeat, optimum erit vt iuxta consilium Hippocratis sectione quadragesima quarta sectionis septimæ, suppurati in latere secantur, vel vrantur, eoq; aperto pus euacuetur, ne æger copia puris suffocetur. Ac primò quidem cognoscendum, an pus in dextra vel sinistra pectoris parte contineatur. Hoc autem cognoscitur notis illis, quæ ab eodem Hippocrate aphorismo quinquagesimo nono sectionis secundæ prognosticorum traduntur: Si, inquit, suppuratio alteram tantum partem occupat, vterque æger debet & sciri, nunquid dolorem in reliquo latere percipiat, & alterum altero calidius sit, atq; vbi in partem sanam decubuit, querere num illi pondus aliquod è superna parte pendere videatur. Id enim si fatetur suppuratio vtrique in illo latere est, in quo & pondus. Cognito igitur qua in parte pus sit, apertio in ea faciendâ erit, non tamen in superiore parte, quia materia facilius ad inferiorem partem descendit, nec in infima costâ, quia ibi alligatum est septum transversum, quod lædi possit. Faciendâ igitur est sectio inter quartam & quintam, vel quintam & sextam costam à parte superiore numerare incipiendo. Vbi & illud notandum, quod non omninò in anteriori, aut posteriori costarum parte sectio faciendâ sit, sed potius exactè in medio duarum, vt hoc modo pus collectum commodius effluere possit. Factâ autem apertione, pus non vna vice vniuersum, sed sensim & per intervalla educatur. Si enim pus confertim vacuetur, multus spiritus vnâ cum eo excernitur, vnde detrimentum ægrotantibus, & virium debilitatio. Ideo Hippocrates aphorismo vicesimo septimo sectionis septimæ: Quicumq; inquit, empyi vrantur aut secantur, si pus vniuersum effluerit, omninò moriuntur. Et si quidem empyis, cum vrantur, aut secantur,



secantur, purum & album pus effluat, euadunt: si verò subcruentum, faculentumq; & fetidum, pereunt.

## P H A R M A C I A.

## LXXIIII.

Si phthisis à defluxu humoris acris ex capite oriatur, curandi ratio ab illius amolitione inchoanda erit: Humor ergo ille primum liquoribus stillatitiis lactucæ, nymphæ, plantaginis, intybi satiui latioris, vngulæ caballinæ, & serapis de succo violarum, papauere, nympha, vel ziziphis, alterandus & præparandus.

## LXXV.

Humor præparatus lenioribus medicamentis, vt sunt manna, & cassia, in decoctione aliqua pectorali dissolutis, est expurgandus. E-  
idē vsui inseruit decoctū galli antiqui, ex vuis passis detractis vine-  
ceis, ziziphis, mixariis, prunis dulcibus, ficibus pinguibus, semine  
carthami, anisi, radice polipodij, glycyrrhizæ, & foliis senæ præpa-  
ratum, quæ omnia in ventre galli ponantur, atq; in sufficienti quan-  
titate aquæ ad consumptionem tertiæ partis decoquantur in olla  
ampla, ne aliam aquam ante perfectam coctionem affundere necesse  
sit. Facta decoctione ius hoc seruetur in fictili, de quo æger matutino  
tempore sumat haustum pondere vnciarum quinq; vel sex.

## LXXVI.

A vehementioribus purgantibus abstinendum, quæ non tan-  
tum vlcera pulmonum irritant atq; exasperant, sed etiam fluxum  
alui, qui teste Hippocrate citato loco letalis est, concitat. Consili-  
um igitur Galeni, qui libro quinto methodi medendi capite decimo



quarto, phthificos pilulis ex aloë, scammonia, colocynthide, agarico, bdellio & gummi Arabico confectis purgandos esse præcipit, non esse admittendum.

## LXXVII.

Post hæc errhinum ex liquoris stillatitij betæ vnciis quatuor, cui drachma vna elaterij permixta sit, parari debet, quod à ieiuno ægro tepidum naribus attrahatur, vt hac ratione humor à pulmonibus ad nares deriuetur. Apophlegmatismi, quia materiam ad locum affectum attrahunt, vitandi.

## LXXVIII

Si purgatione facta adhuc aliqui humores superfuerint, eorum acrimonia est contemperanda, & defluxio ad pulmones inhibenda, quod commodissime fieri poterit confectioe *Μεσασίου*, hoc esse, ex capitibus papaueris descripta à Galeno libro septimo de compositione medicamentorum localium capite secundo. Paulo Aegineta libro de re medica capite vndecimo. Alexandro Tralliano libro quinto capite quarto. Aetio terrabibli secundi, sermone primo, capite centesimo tricesimo tertio. Oribasio libro quinto medicinalium collectorum, capite decimo octauo. Et libro quarto de locorum affectionum curatione capite centesimo tricesimo quarto. Hæc enim humores tenues ad pulmones affluentes, eosq; erodentes intercipit, & partes respirationi inservientes ab iisdem humoribus exasperatas lenigat atq; lenit. Easdem facultates obtinet eclegma de papauere D. Mesua sectione quinta antidotarij.

## LXXIX.

Quòd si impetus humorum à capite ad pulmones defluentiu vehementior fuerit, qui & tussim difficilem, & vigilias perpetuas ægro



gro inducant, ad medicamenta *καρμωλιχά* est confugiendum Nam cum tussis illa difficilis ab humoribus acris & tenuibus ortum habeat, opiata frigiditate sua eos incrassant, eorumq; impetum reprimunt ac sistunt. Deinde tussis non excitatur nisi ex aliqua noxia vel molestia instrumentis respirationis illata, qua natura ad rei noxiae expulsionem incitatur. Narcotica igitur frigiditate sua torpido reddito illorum partium sensu, occasione sunt, ut molestia illa percipi nequeat, & sic tussis sedatur. Acrimonia verò humorum contemperata, tussiq; sedata, somnus sua sponte obrepit. In hunc usum compositæ sunt pilule de cynoglossa communes. Galenus libro quinto methodi medendi, capite decimo quarto, vitur confectio *Αξωρεμάτων*, quam in hunc modum describit libro septimo de compositione medicamentorum localium, capite quinto: Seminis apij, ammios, vtriusq; unciam, anisi, fœniculi, vtriusq; semunciam, cassie nigrae, opij, vtriusq; drachmas duas, cum aqua fiant pastilli tribolares. Et si sputum sanguinis catharro annexum sit, philonium persicum exhiberi debet.

## LXXX.

Galenus libro quinto methodi medendi, capite decimo tertio, & decimo quarto, in curatione vlcis pulmonis à catharro acri generati, inter cætera capiti raso etiam adhibet medicamenta *μίσγεσιν* ex stercore palumbium, & thapsia confecta, quæ humores in alto fixos ad summam cutem euocant. Sed cum medicamenta illa calefaciendi vim habeant, morbis tantum diuturnis ex frigidiore aliqua materia ortis accommodata sunt: pthisis autem à materia calida & acri excitata noxia, quod caput adhuc magis calefaciant, & plus materiae ad illud attrahant.

## LXXXI.

Eadem methodo vti debemus in curatione pthisis à vase pulmonis ab humoribus acris eroso excitata. Quando verò



verò vas pulmonis à vehementi clamore, casu, vel alia quadam externa causa rumpitur, præter ea præsidia, quæ in chirurgia ad tollendam causam antecedentem præscripta sunt, medicamentis nullis opus est.

## L X X X I I.

Si phthisis ab inflammatione in suppurationem versa generetur diligenter animaduertendum erit, quò pus prorepat, eiusq; excretio adiuvanda. Si enim ad aluum proreptet, emollientia: si ad vesicam, diuretica: si per tussim expurgatio fiat, expectorantia offerenda sunt.

## L X X X I I I.

Mensibus vel hæmorrhoidibus suppressis, initio humores peccantes concoquendi & euacuandi, postea ora vasorum medicamentis localibus vtero & ano applicatis referanda.

## L X X X I I I I.

His peractis ad curationem vlcæris perueniendum, ac primo loco exhibenda sunt medicamenta πυκνὰ, quæ πυκνόν, id est, sordem in vlcere pulmonum collectam abstergant atq; eluant, in quem usum potissimum conueniunt hydromel, & aqua hordei, si quidem æger fuerit temperamento frigidiore hydromel simplex aut compositum ex hyssopo vel scabiosa: Si autem biliosior fuerit, aqua hordei, vel saccharata. Maiorem vim abstergendi habent serapia de glycyrrhiza, de hyssopo, de prassio, eclegmata sanum & expertum, de pino, de scilla.

## L X X X V.

Abterso atq; à pure repurgato vlcere, ea quæ carne implere & glutinare possunt, σαρκώδην Græcis dicta, offerantur, qualia



qualia sunt tragacanthum, gummi Arabicum, mastiche, olicanum, amyllum, pulmo vulpis præparatus, radix Symphyti maioris.

## LXXXVI.

Postremò Πουλολινά, hoc est, vlceri cicatricem inducentia medicamenta dentur, que constringendi & exiccandi facultate sunt prædita, vt bolus Armenius, terra Lemnia, sanguis draconis, balauustum, malicorium, flores rosarum rubearum, coralli, margarita, succinum album, oculi cancrorum, cinis cancrorum fluuiatilium.

## LXXXVII.

Cum verò adstringentia & viscosa ac tenacia sibi ipsis vias præcludant, quò minus ad locum affectum penetrare possint, ideo congruenti mensura illis admiscenda sunt calida, vt sunt spica, cinamomum, myrrha, mel, saccharum, & similia, qua tenuitate partium transitum ac distributionem ipsorum adiuuent, vt rectè Galenus libro septimo de compositione medicamentorum localium capite quarto præcipit.

## LXXXVIII.

Abstergentia glutinantibus & exiccantibus variis modis permisceri possunt, prout vsus postulat. Compositiones hoc tempore vsitatiores sunt species Electuarij resumptiui, diamargariton frigidum, diatragacanthi frigidum, diapenidij, trochisci de succino, de terra sigillata. Et trochisci de papauere Mesue, tractatu de ægritudinibus pectoris ac pulmonis, qui recipiunt seminis papaueris albi, cucurbitæ, citrulli, singulorum mundatorum semunciam, succi glycyrrhizæ, amyli, gummi Arabici, tragacanthi, singulorum drachmas quinq;, thuris masculi, boli Armenij, sanguinis draconis, succini, singulorum drachmas duas, myrrhæ, cinamomi, opij, singulorum drachmâ vnâ. Fiant trochisci, & sumantur in potu cū syrupo de papauere.



## LXXXIX.

Ab omnibus fere medicis plurimum commendatur saccharum rosaceum, quod non solum glutinandi, verum etiam abstergendi facultatem obrinet. Ac maiorem quidem abstergendi vim habet recens, glutinandi verò antiquum. Si igitur magis abstergere velimus, recentiore, sin glutinare, antiquiore uti debemus.

## X C.

Galenus libro quinto methodi medendi capite decimo tertio, & libro quarto de locis affectis capite octavo. Et Oribasius libro nono synopsis capite quarto. Et Mesues tractatu de agritudinibus pectoris ac pulmonis, capite de phtisi, pro exiccatione ulceris pulmonis videntur theriaca & mithridatio. Eorum tamen usus periculosus, quod & ulcera exasperent, & calorem febrilem augeant.

## X C I.

Maiore cum fructu vsurpari posset pulvis ex thuris, mastiches, succini, sandaracha Arabum, hoc est, gummi iuniperi, rosarum rubearum, & seminis nigelle, singulorum partibus aequalibus paratus, lapidibus molari ignito inspersus. Nam fumus istius pulveris ore & naribus haustus, non tantum pulmones, verum etiam cerebrum superfluitates ad pulmones transmittens resecat.

## X C II.

Tempore conglutinationis & cum cicatrix ulceri obducitur, thoraci inungatur oleum rosaceum, vel myrrinum Radieis floribus rosarum rubearum, malicorio, balaustis & similibus. Intempestivus adstringentium, tam intro assumptorum, quam foris admotorum, usus cauendus, quae constringendo pectus expurgationem sputi impediunt. Pure autem retento aegri suffocantur.

Sympto-



## XCIII.

*Symptomata phthisis, quæ curationem requirunt, sunt tria præcipua, videlicet marcor seu consumptio totius corporis, retentio sputi, & fluor alui.*

## XCIIII.

*Marcoris causa proxima & immediata est calor febrilis, qui spiritus, humores, & partes solidas depascit atq; consumit. Calor igitur ille præternaturalis medicamentis refrigerantibus, & humectantibus est restringendus. Corpus autem extenuatum boni & laudabilis nutrimenti, in ratione victus præscripti, appositione reficiendum atq; instaurandum.*

## XCV.

*In hunc quoq; usum medicamenta varia à medicis sunt excogitata, ex quibus primum sibi locū vendicat destillatum capi, quod recipit caponem plumis denudatum & euisceratum, atq; in frustra incisum, cui addatur vuarum passarum detractis vinaceis, radicis glycyrrhizæ, singulorum vncia, florum rosarum rubeorum, violarum, boraginis, buglossæ, singulorum pugillus vnus. Coquantur in sufficiens quantitate aquæ fontanæ, in fine decoctionis admisceantur liquorum stillaticiorū, rosarum, borraginis, buglossæ, plantaginis, singulorum vnciæ sex, rursus simul coquantur ad separationem carniū ab ossibus. Reponantur in loco frigido, postea separata pinguedine addantur conseruæ rosarum rubeorum vnciæ duæ, borraginis, buglossæ, violarum, singulorū semuncia, seminis papaueris albi drachmæ tres, seminum quatuor frigidorum maiorum singulorum drachmæ duæ, specierum diamaragaron frigidi, diatragacanthi frigidi, diapenidi, Electuarij resumptiui, singulorum arachma, sacchari quantum sufficit ad saporem dulcem conciliandum. Eliciatu aquæ in duplici vase.*



## XCVI.

Morselli instaurantes fiunt ex pulpa caponis, vel perdicis minutim incisæ, amigdalis dulcibus mundatis, nucleis pini in aqua rosacea maceratis & exsiccatis, quatuor seminibus frigidis maioribus, margaritis & corallis præparatis, ac saccharo in aqua rosarum dissoluto. His proximè accedunt placentæ ex amigdalis dulcibus, & saccharo in aqua rosarum dissoluto confectæ, quas Marcipanes vocant.

## XCVII.

Balnea quoq; dulcis aquæ phtisicis conueniunt, quæ corporis partes exiccatas humectant, earumq; meatus aperiuunt, vt facilius alimentum recipere possint. Hæc ex foliis vitis, salicis, violariæ, nymphæ, maluæ, althææ, floribus rosarum, chamæmeli, & melilori parari, ac singulis septimanis bis vel ter, coctione peracta, vsurpari possunt. Aqua verò cui ægri immittuntur, non debet esse nimis calida, cumq; venæ brachiorum & pedum intumuerint, balneo exeant, neq; tamdiu in eo commorentur, donec tumor venarum rursus subsideat.

## XCVIII.

Post balneum totum corpus, excepto capite, inungatur vnguento resumptiuo, quod fit ex axungia porci recentis sine sale vncia, axungia gallinacæ, anseris, anatis singulorum semuncia, æsypi humidæ drachma, olei violati, chamæmeli, anethini, singulorum semuncia, butyri recētis vncius tribus, ceræ albæ fescuncia, mucilaginis tragacanthi, gummi Arabici, mucilaginis seminis cotoneorum, lini, bis maluæ, singulorum drachma, mixta in vnguenti formam redigantur. Eius loco oleum rosaceum, cum oleo amigdalarum dulcium recens expresso vsurpari potest.



## XCIX.

Si sputum retineatur, eclegmatis & vnguentis pectus relaxantibus est subueniendum. Eclegmata sint attenuantia & sputum prouocantia, quale est sanum & expertum, de pino, de scilla. Exterius thoraci inungatur vnguentum pectorale commune.

## C.

Fluore alui propter concoctricis & retentricis facultatis imbecillitatem superueniente statim succurrere oportet. Nam phtisi fluxus alui superueniens lethalis. Succuritur adstringentibus tam internis, quam externis. Intra assumatur conserua rosarum rubeorum antiqua, cotonea mala condita, miua cotoneorum, species diarrhodon Abbatis. Venti illinatur oleum myrtinum, vel vnguentum comitissæ.



XCIX

... of ... ..  
... ..  
... ..

... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..

... ..





## Disputatio

DE SALIVA, SPV-  
TO ET MVCO.

## PROPOSITIO I.

**D**OCTRINA de saliva, sputo & muco Medicis apprimè utilis & necessaria est. Pertinet enim ad eam pars inueniuntur Medicinae partem, quae tractat de excretionibus & retentione, sine cuius cognitione perfecta, sanitas nec praesens conseruari, nec amissa recuperari potest.

## II.

Differunt excreta & excrementa. Nam excreta Graecis *κακρνωμενα*, generatim dicuntur omnia, quaecumq; praeter naturam corpore excluduntur. Excretorum tria genera ponit Galenus libro artis medicinalis capite octuagesimo primo. Et libro tertio de locis affectis capite tertio: Quaedam enim sunt partes affectorum membrorum, sic in inueterata phthisi pulmonis exulcerati particula tussi: in dysenteria derase intestinorum tunica egestionibus alui: in renum inflammationibus caruncula à renum subsantia deesse cum urinis excernantur. Quaedam in  
membris



membris ipsis secundum naturam continentur, atq; hoc modo, sanguis ex venis vel arteriis, lac ex mammillis, & genitale semen ex testibus præter naturam prorumpens, excretorum serie comprehenduntur. Quædam sunt excrementa, ut humores plurimi, item pus, calculi, vermes.

## III.

Excrementa verò Græcis *ἄνωμαλα*, sunt partes alimentorum dissimilares, quæ in coctionibus calore animalium à similaribus partibus separata, corpori nutriendo ineptæ relinquuntur, ut fæces alui, bilis vtrâq; pituita, vrina, sudor & substantiæ quædam toto genere præter naturam, ut pus, lumbrici, calculi. Differunt igitur excreta & excrementa veluti genus & species. Nam omne excrementum est excretum, sed non vice versa omne excretum est excrementum.

## IIII.

Excrementa medici bifariam distinguunt, sic ut alia sint *κατὰ φύσιν*, id est, secundum naturam: Alia *παρὰ φύσιν*, id est, præter naturam.

## V.

Excrementa naturalia sunt, quæ à calore natiuo producta, substantiam, quantitatem, qualitates tum primas, tum secundas, subiectum, & usum naturæ suæ conuenientem retinent.

## VI.

Excrementorum naturalium proventus propter nutritionem est necessarius. Cum enim nutrimentum partim contrarium sit corpori quod nutritur, partim verò simile, ut Aristoteles libro secundo de anima, capite quarto, & Galenus libro primo de tuenda sanitate, capite



capite tertio, docent, omni ex parte assimilari nequit, sed necesse est contrarias illas partes ab eo separari. Quando igitur post coctionem partes similes & nutrimentales collectæ atq; appositæ sunt, contrariæ, dissimilares & excrementitiæ separantur.

## VII.

Excrementa naturalia duobus modis diuiduntur, videlicet ratione subiecti, & vsus.

## VIII.

Ratione subiectorum, in quibus excrementa naturalia generantur, alia sunt primæ coctionis, quæ in intestinis sunt, vt feces alui: Alia secundæ, quæ in iecinore & venis producuntur, vt bilis vtrâq; pituita, serosus humor: Alia terciæ, quæ in cæteris corporis partibus colliguntur, vt sudor in vniuerso corpore, mucus in cerebro, sputum in pulmonibus, Galenus libro primo de tuenda sanitate, capite duodecimo.

## IX.

Ratione vsus excrementa naturalia alia sunt χέσιμα, id est, vtilia, alia ἀχέσιμα, id est inutilia. Vtilia sunt, quæ licet ad nutritionem individui nihil faciant: tamē alias quasdam corporis actiones adiuvant, vt bilis, melancholia, pituita naturalis, saliuæ, serosus humor, pituita lateribus ventriculi & intestinorum adhærens, humor glutinosus, qui in articulis reseruatur, & saliuæ humor in glandula meatu vrinario supraposita contentus. Inutilia sunt, quæ nullum prorsus, vel ad nutritionem, vel ad alias corporis actiones vsus præstant, vt feces alui, vrina, sudor, lachrymæ, sputum, mucus, sordes cutis, oculorum, &c.

## X.

Excrementa præternaturalia sunt, quæ à calore præternaturali generantur, & vel substantia, vel quantitate, vel qualitate, vel



toto genere à naturali suo statu recedunt: Substantia, vt pituita vitrea & gypsea: Quantitate, vt mucus in catarrhis à cerebro ad inferiores partes destillans: Qualitate, vt pituita acida, salsa: Toto genere præter naturam dicuntur illa excrementa, quæ nec formam, nec materiam naturæ suæ conuenientem habent, vt pus, lumbrici, calculi.

## XI.

Excrementa naturalia & præternaturalia conueniunt materia. Nam materia ex qua fiunt excrementa tum naturalia, tum præternaturalia, sunt alimenta, quæ per os in corpus ingesta, in ventriculo, iecinore, venis & cæteris corporis partibus mutationem subeunt. Differunt verò causa efficiente. Nam causa efficiens excrementorum naturalium est calor naturalis temperatus & materia ἀνάλογος, qui in coctionibus singulis partes quidem similes congregat & colligit, dissimiles vero separat. Causa verò efficiens excrementorum præternaturalium est calor, tū præternaturalis, qui vel supra modum naturæ suæ conuenientem intenditur, & efficit eam vitiatam coctionis speciem, quam Aristoteles libro quarto meteororum capite tertio ζῆτ' & σιγ', id est, tostionem, seu combustionem vocat, qua omnes humores præternaturales adusti, & calculi generantur: vel infra modum naturæ congruentem remittitur & μάλωσις efficit, id est, imperfectam elixationem, qua omnes crudi humores proueniunt: Tum mixtus ex naturali & præternaturali, quo pus & lumbrici producuntur.

## XII.

Vt verò saliuæ, spuri & muci, de quibus hoc loco disputationem suscipere instituumus, naturæ & essentia intelligatur, necesse est vt causæ ipsorum explicentur & declarentur. Nam scire tum demum nos aliquid arbitramur, teste Aristotele libro primo



Ἐπὶ τῆς Φυσικῆς ἀποδείξεως capite primo, cum causas ipsius probe cognitas atq; perspectas habemus.

## DE MVCO.

## XIII.

Βλέννα, siue μύξα, siue κόρυζα Græcis, Latinis mucus, est excrementum naturale tertiæ coctionis, quod in nutritione cerebri à proprio ipsius alimento vi natiui caloris separatur, & postea in χοάνη seu infundibulum, & ei subiectam glandulam desillans, partim emunctione per nares, partim excreatione per palatum educitur, vt cerebrum ad actiones suas obeundas idoneum reddatur.

## XIII.

Materia ex qua generatur mucus est sanguis, qui per venæ cavae, & arteriæ aortæ ramos sursum ad cerebrum delatus ibi in duræ membranæ sinus effunditur, ex quibus postea plurimæ propagines in tenue in membranam distributæ, sese in exteriores cerebri gyros, tenuium intestinorum reuolutionibus respondentes insinuant, atq; ita cerebri substantiæ alimentum subministrant.

## XV.

Materia in qua, seu subiectum mucî est cerebrum, quod cum sanguinem sibi assimilant, mucum à proprii nutrimenti substantia secretum ad infundibulum propellit.

## XVI.

Formam mucus habet pituitæ præternaturalis, quæ Græcis πύχνον, latinis crassa dicitur.

## XVII.

Causa efficiens est facultas cerebri alteratrix, quæ instrumento caloris natiui partes homogeneas nutrimenti sui colligit, heterogeneas verò separat.



## XVIII.

Usus mucī in corpore nullus est. Quamprimum igitur nutrimentum cerebro assimilatum est, facultate ipsius expultrice primum in infundibulum, & ei subiectam glandulam excernitur, atq; inde postea tum per nares, tum per os eiicitur.

## XIX.

Quod si diutius in cerebro retineatur mucus, vias alimenti præoccupans, prohibet quò minus illud ad cerebrum affluere possit, & sic cerebrum alimento suo destitui necesse est. Deinde collecta hæc excrementa catarrhos seu destillationes ad inferiores partes excitant, quæ si ad os fiant, generis nomine κατάρρα, id est, destillatio dicitur: Si in guttur & asperam arteriam, βρόγχος, id est, rauicitas: Si ad nares, ῥίνας, id est, graeco: Si ad gargarionem, ερρολή, id est, riva: Si ad glandulas linguæ, ἀνιάδες & πείδιμα: Si ad musculos laryngis, κωάγχι, id est angina gignitur. Si verò ad pulmones, aut membranam costas succingentem, aut ventriculum, aut alias partes feratur, varios morbos producit. Præterea etiam excrementa hæc spiritus animalis generationem impediunt, actiones principes, videlicet phantasiam, memoriam & ratiocinationem lædunt, vertiginem, epilepsiam, apoplexiam, atq; alios grauisimos morbos inducunt.

## XX.

Extra verò cerebrum e ductus mucus, constitutionem ipsius tam naturalem quam præternaturalem indicat. Galenus libro de constitutione artis medicæ capite decimo octauo. Et libro artis medicinalis capite septuagesimo sexto.

## XXI.

Copiosus mucus frigidam & humidam, paucus calidam & siccam



cam cerebri temperaturam indicat. Galenus libro artis medicinalis capite decimo quarto, vsq; ad vigesimum. Paulus Aegineta libro primo de re medica, capite sexagesimo tertio. Aetius terrabibli primi, sermone quarto, capite sexagesimo quarto, vsq; ad septuagesimum primum. Rhases libro secundo de re medica capite nono.

## XXII.

Quibus nares humidiores natura, & genitura humidior, ij minus prospera valetudine fruuntur. Quibus verò hisce contraria ad-sunt, salubrius degunt. Hippocrates aphorismo secundo sectionis sextæ.

## XXIII.

Quæ per nasum excernuntur, eorum quæ in cerebro existunt coctionem & cruditatem demonstrant. Galenus commentario secundo in librum primum Epidemiorum Hippocratis.

## XXIII.

Humorum qui è cerebro per palatum & nares defluunt, initium quidem est, cum aquei tenuesq; item copiosi & acres apparent. Extremam enim hæc cruditatem indicant. Coctionis notæ iam sunt, crassior & minus acris, & modicus humor descendens. Galenus libro de totius morbi temporibus capite tertio.

## XXV.

Capite dolenti & vehementer laboranti, pus & aqua, vel sanguis per nares aut os, aut aures effluens, morbum soluit. Hippocrates aphorismo decimo sectionis sextæ. Et libro secundo de morbis. Et in fine libri de salubri diæta.



## DE SPVTO.

## XXVI.

Πτύαλον siue Πύελον, & Πύσμα Græcis, latinis sputum, est excrementum naturale tertiæ coctionis, quod in nutritione pulmonum à proprio ipsorum alimento caloris nativi instrumento sæcernitur, atq; per tussim reiicitur, vt pulmones ad actiones suas exercendas promptiores euadant.

## XXVII.

Galenus libro primo de Crisibus capite quinto inter Πύαλον & Πύσμα hoc modo distinguit, vt Πύαλον, id est sputum, significet id quod tussi eiicitur coctum atq; immistum: Πύσμα verò siue sputamen id, quod tussi reiicitur, & vel sanguini, vel bili permixtum est.

## XXVIII.

Materia ex qua fit sputum est sanguis, qui per venam arterialem ex dextero cordis ventriculo ad pulmones pro ipsorum nutritione deducitur. Est enim dexter cordis ventriculus pulmonum duntaxat grata factus, qui cum carne consent rara & fungosa, crassiore venarum sanguine commodè ali non possunt. Cor igitur in hoc ventriculo crassiore venarum sanguinem perfectius coquit atq; attenuat, vt ad nutritionem pulmonum idoneus fiat.

## XXIX.

Materia in qua, seu subiectum sunt pulmones, qui cum ex sanguine per venam arterialem aduecto partem substantiæ propriæ familiarè assumperunt, reliquam veluti excrementum relinquunt.



## XXX.

*Ut mucus ita etiam sputum crassioris pituita formam refert.*

## XXXI.

*Causa efficiens est facultas pulmonum alteratrix, qua calore nativo partes similes alimenti sui congregat, dissimilares verò atq̄ excrementitias secernit.*

## XXXII.

*Vsus sputi in corpori nullus est. Cùm enim alimentum familiare pulmonibus appositum est, tum spurum ab eo separatum ex sufflatione validiore per tussim facta, primum in asperam arteriam, atq̄ inde in os propellitur.*

## XXXIII.

*Et si diutius in pulmonibus retineantur sputa, nutritionem ipsorum impediunt, ac meatus asperæ arteriæ occludentia, respirationem ledunt atq̄ asthma inducunt. Deinde coaceruata hæc excrementa tandem computrescunt, eoq̄ modo acriora simul ac calidiora reddita pulmones exulcerant & phthisin procreant.*

## XXXIII.

*E cavitate verò thoracis educta sputa indicant, quomodo pulmones & latera thoracis affecta sint. Galenus libro de constitutione artis Medicæ capite decimo octavo. Et libro artis medicinalis capite octuagesimo. Et commentario secundo in librum primum Epidemiorum Hippocratis.*

*Sputum*



## XXXV.

Sputum copiosum frigidam, paucum, siccam pulmonum temperaturam indicat. Galenus libro artis medicinalis capite sexagesimo quinto, & sexagesimo sexto. Paulus Aegineta libro primo de re medica capite sexagesimo quinto. Aetius retrabibli primi, sermone quarto, capite septuagesimo sexto. Rhases libro secundo de re medica capite duodecimo.

## XXXVI.

Sputum perfectæ coctionis est signum, cum album, leue & æquale, & compage neq̄ liquidum, neq̄ nimis crassum fuerit. Galenus commentario in aphorismum duodecimum Hippocratis sectionis primæ. Paulus Aegineta libro secundo de re medica capite decimo quinto.

## XXXVII.

Summæ cruditatis indicium est id, quod omninò non expuitur. Quod si spuatur quidem, sed tenue adhuc sit, debilis & obfcuræ coctionis est signum. Si sincerum minimeq̄ permixtum fuerit sputum, vel flauum, vel rufum, vel viride, vel spumosum, viscosum, vel nigrum, malum. Nam excepto sanguine, quicumq̄ alius humor sincerus fuerit, malam affectionem indicat, ex calore generatam. Sanguinea igitur & pituitosa sputa moderata sunt: flaua ac rufa mala: liuida verò, aut aruginosa, aut nigra perniciosissima. Hippocrates in prognosticis, & Coacis prænotionibus. Galenus commentario in aphorismum duodecimum Hippocratis sectionis primæ, Et libro primo de crisi bus capite quinto, & decimo octauo. Et commentario secundo in librum sextum Epidemiorum Hippocratis. Paulus Aegineta libro secundo de re medica, capite decimo quinto. Aetius retrabibli secundi, sermone pri-



*primo, capite quinquagesimo secundo. Aurelius Cornelius Celsus libro secundo, capite octavo.*

## XXXVIII.

*In peripneumonicis si inter initia sputum mixtum pauco sanguine & rufo edatur, salutare est, & valde confert: Si vero septimo die, vel etiam serius procedat, securitatis minus est. Hippocrates in prognosticis.*

## XXXIX.

*Sputum in pleuriticis tertia die maturari ac expui incipiens, citiores solutiones facit: Verum posterius, tardiores. Hippocrates in Coacis pranotionibus.*

## XL.

*Pleuritici quibus in principio sputationes penitus purulentæ sunt, tertia die moriuntur, aut quinta. Si vero has effugerint, non multo melius habentes, septima aut nona, aut undecima suppurari incipient. Ibidem Hippocrates.*

## XLI.

*In sputis verò & educationis modum considerare oportet. Quod enim facile educitur, bonum est, quod verò difficulter, malum. Ibidem Hippocrates.*

## XLII.

*Ex puris sputo phthisis & fluxus malum. Cum verò sputum supprimitur, moriuntur. Hippocrates aphorismo decimo sexto sectionis septimæ.*



## DE SALIVA

## XLIII.

Σίαλον, siue σίελον, & σίαλον, siue σίελον, & σάλις Graecis, latinis saliva & salivum, est excrementum naturale ex pituita naturali specifica forma glandularum ad radicem linguae positarum generatum, quod paulatim inde per χηρομοῦς in os destillat, ut linguam humectet, eamq; ad actiones suas obeundas promptiorem reddat.

## XLIIII.

De materia ex qua fit saliva, diuerse sunt authorum opiniones. Quidam enim eam ex vaporibus à ventriculo, dum cibus ac potus in cocoquitur, ad cerebrum exhalantibus, atq; inde ad fauces, & linguam destillantibus generari volunt. Alij verò ex sanguine per propagines quasdam venarum jugularium internarum ad tonsillas nutritionis causa delato produci asserunt. Prioris sententiae est D. Philippus Melanthon libro de anima, ubi structuram linguae explicansq; sic scribit: Saliva est excrementum phlegmatis, destillans partim ex cerebro in fauces, partim ex ventriculo exastuans. Eiusdem opinionis est Levinus Lemnius libro secundo de occultis naturae miraculis capite quadragesimo quarto: Est autem liquor hic, inquit, qui ori innatat, linguamq; humectat ac cibum irrigat, nihil aliud, quam pituitosum quoddam excrementum, quod in ventriculo ex alimentorum succo conceptum, ad cerebrum defertur, atq; hinc ad linguam faucesq; corruatur. Quò fit ut quibus stomachus pituita redundat, os quoq; saliviosum sit, atq; humore immodico perfundatur: quibus verò praecordia aestuant, ac febrili calore torrescunt, lingua omni prorsus humore destituta est, atq; ut terra nimis solis ardeat.



ardoribus adusta, finditur. Posteriolem sententiam sequitur D. Casparus Peucerus libro de diuinatione, tractatu de presagijs medicorum: Salua, inquit, est vtile necesse est, ex eo nutrimento reliquum, quo glandule faucium reficiuntur.

## XLV.

At materia salua neq; à ventriculo, nec cerebro suppeditatur Nam ventriculus, dum rectè valet, assumpto cibo & potu fibris suis obliquis sese vndiq; constringit, & vtrumq; orificium adeò exactè claudit, vt nihil inde exhalare possit. Præterea fuliginosa & vaporosa excrementa à subiectis partibus sursum ad Caput ascendunt, omnia per caluarie suturas & cauernulas in sensibili transpiratione exhalant, vt rectè Galenus libro nono de vsu partium capite primo, Et libro de instrumento odoratus capite secundo. Et Oribasilus libro vicesimo quarto medicinalium collectorum capite primo docent.

## XLVI.

Que vero ex cerebro in palatum & nares destillant excrementa, non ex vaporibus à ventriculo eruantibus, sed proprio cerebri nutrimento producuntur. Quemadmodum enim in reliquarum corporis partium, ita quoq; in cerebri nutritione excrementa quadam propria generari necesse est, ex quibus illa, que vaporis similia sunt, sua leuitate sursum feruntur, & vna cum cæteris vaporosis ac fuliginosis superfluitatibus ex inferioribus partibus ad caput ascendunt, per cranii suturas & cauernas excernuntur. Que verò crassa sunt & liquida, sua grauitate deorsum delata, partim per nares, partim per palatum in os reijciuntur.

K :

Et



## XLVII.

*Et quæ in hunc modum ex cerebro in nares & palatum destillant excrementa, non salivæ, sed mucæ naturam referunt. Nam salivæ non ex cerebro, sed tonsillis in oris cavitate effunditur, ut perspicue docet Galenus libro secundo de semine capite sexto, his verbis: Adde quod ex cerebro excrementitius humor per palatum, & ex glandulis, quæ ad radicem linguæ sunt, salivæ eodem fertur. Sic libro undecimo de usu partium capite decimo, superiores oris partes à mucæ, inferiores autem à salivæ humectari asserit. Admonuimus enim antea, inquit, in larynge, quod propter hanc eius utilitatem glandulas spongijis similes, carnosas, unam utrinque natura apposuit. Quod ipsum etiam in lingua fecit, ab iisdem glandulis meatus per obliquas partes atque inferiores humorem pituitosum in ipsam eructant, liquidum, linguam ipsam, atque inferiora, lateraque, & omnia, quæ in oris sunt circuitu, humectantes. Superiora enim meatus à cerebro descendentes habebant, de quibus antea sum locutus.*

## XLVIII.

*Deinde salivæ natura sua insipida est, ut omnes saporum differentias commodè recipere possit. At mucus, qui ex cerebro in palatum destillat, & salivæ commiscetur, propria qualitate est imbutus, ideoque si maiori copia in os feratur, quemadmodum fit in catarribus, impedit, quo minus lingua saporum differentias rectè diiudicare possit. Quam quidem salivæ & mucæ differentiam à qualitatibus desumptam etiam innuit Galenus libro tertio de locis affectis capite septimo: Pituita quidem unum genus est, inquit, quod quotidie vel screando, vel vomendo, vel emungendo educitur, vaporoso scilicet spiritu plenum ut ne sensum quidem lateat, ipsum esse dissimulare. Alia verò pituita similis quidem videtur, licet for-*  
tasse



rasse non sit similaris, qualis est crudus humor, qui in urinis substat, tum is, qui à Praxagora vitreus appellatur. Atq; ex hoc generi videtur esse saliva, quæ neq; fluida admodum est, neq; aquosa. Verum saliva non vnica duntaxat qualitate gustum afficit, nedum vniuersa pituita. Sæpe numero enim acrem, & acidam & salsam in ore saliuam manifestè deprehendimus; veluti cum sani degimus, nulla qualitate infecta, sed perinde quasi aquosa saliuæ gustui offertur.

## XLIX.

Et si autem illi, quibus stomachus pituita redundat, plurimum quoq; saliuæ expuunt: tamen propterea necesse non est, humorem illum pituitosum, vt vult Leuinus Lemnius, primum à ventriculo ad cerebrum deferri, atq; inde ad fauces deriuari. Nam qui frigida ventriculi intemperie laborant hac potissimum de causa plurimum saliuæ per os reijciunt, quod chylus crudus in ventriculo productus sanguinem quoq; pituitosum reddit, qui per venam cauam ascendentem in iugulares, atq; inde tonsillas effunditur.

## L.

Sed nec illud nutrimentum, quo glandule faucium ac lingue reficiuntur, materiam saliuæ subministrat. Et si enim totus, qui pro nutritione illarum glandularum per venas aduehitur sanguis, in saliuam transmutaretur: tamen pro continua faucium & lingue irrigatione non sufficeret, tantum abest, vt excrementum illius sanguinis sufficientem materiam saliuæ suppeditare possit.

## LI.

Est igitur materia saliuæ pituita naturalis, quæ secunda coctione in iecinore & venis producitur, atq; vna cum sanguine per



venas in vniuersum corpus distribuitur. Cum enim Chylus, prima coctione in ventriculo generatus sit, è πρῶτος, & diuersis partibus constet, quarum alia ignis, alia aeris, alia aquae, alia terrae naturam referunt, sit vt secunda coctione, praeter sanguinem, alii quoq; humores excrementitij producantur, videlicet, flaua bilis, melancholia, pituita & serosus humor. Ac bilis quidem à vesicula fellis, melancholia à liene humor serosus à renibus & vesica attrahitur. Pituita verò expurgandae naturae nullum proprium instrumentum machinata est, quod segregari à sanguine, cum sit veluti dimidio coctum alimentum, non deberet, ideoq; vnà cum sanguine per venas distribuitur. Haec igitur pituita naturalis per venarum jugularium internarum ramos vnà cum sanguine ad tonsillas delata, materiam salinae suppeditat. Idem enim est modus generationis salinae humoris in omnibus glandulis vniuersi corporis humani. At salinae humor in glandulis mesenterij, quo interior intestinorum tunica sublinitur, & in glandula meatus vrinario supra posita, quo meatus vrinarius humectatur, ex pituita naturali per venas eo traducta generatur. Ergo salina quoq; in glandulis ad radicem linguae constitutis non ex vaporibus à ventriculo eructantibus vel humoribus à cerebro destillantibus, sed pituita naturali producitur.

## LII.

Subiectum seu officina salinae sunt glandulae radicem duae ad linguae circa os uicinas, posita, quas Graeci ἀμυγδαλας vocant, quoniam locus ad quem sitae sunt, isthmo figura respondet: Et ἀντιόδοι, quasi contrariae, quoniam ore aperto ἀντίδοι ἐναντίον, id est, inter se contrariae apparent: Latini tonsillas: Barbari amygdalas nominant. Nam glandulae illae duplicem in corpore usum obriunt, quorum primus est, vt diuarcationem vasorum, quae ex venis iugula-



ingularibus & arteriis soporalibus in linguam propagantur, sustineant & firment, ne vehementioribus motibus diuellantur. Secundus est, ut liquorem quendam gignant, qui ad irrigandam linguam sit idoneus, ne facile exsiccet, atq; inde ad motum inepta reddatur. Pituita igitur naturalis, per oscula duarum venarum ex venis iugularibus internis in linguam distributarum ad glandulas illas transsudans forma earum specifica alteratur, atq; in salivæ speciem transmutatur.

## LIII.

Hæc de subiecto salivæ sententia est Galeni, qui libro tertio de alimentorum facultatibus capite sexto, salivam in consillis non modo colligi, sed generari expressis verbis testatur: Quantum, inquit, lingua à carnis substantia, tantum glandulæ à lingvæ substantia recesserunt, non tamen omnes glandulæ æquali omnino à lingua intervallo distant. Sed quæ illi adiacent ac contingunt, iis quadamtenus sunt similes, quæ in mammis habentur, quando saltem eæ lacte nondum refertæ fuerint. Non enim glandulæ mamillares perpetuò suo munere funguntur, ut cum aliæ propemodum omnes, tum autem eæ, quæ sunt ad linguam. Natura enim eas lingvæ comparavit ad salivam generandam. In eandem sententiam scribit libro decimo quarto methodi medendi capite undecimo: Quippe glandulæ, quæ, quod in medio vasorum in diuersas partes diductorum habetur, implent, eiusq; diductionis pro firmamento sunt, earum hand magnus usus animantibus est, sed ex abundantiore providentia, sicut alia quedam, sic has quoq; glandulas natura fabricavit. Earum vero quæ salivam, vel lac, vel genitale semen, adhuc quæ pituitosum quendam humorem in mesenterio, vel faucibus, vel larynge, generant, earum maior est usus. Atq; aliqui has non glandulas sed glandulosa vocant corpora, ut quæ non paulo, quam reliquæ glandulæ, & rariora sint, & magis spongiosa substantia. Quin etiam in has tum arteriæ, tum venæ sensibiles perveniunt. Et libro secundo de semine capite sexto. Nam quod



quod quæ saliuam gignunt glandulæ, ipsam in os euidenti-  
bus venulis stillatim effundant, quodq; totæ etiam fauces à glandu-  
lis eiusdem utilitatis causa humectentur, nemo est amplius qui  
nesciat. Iam enim inter omnes dissectionis professores constat.

## LIIII.

Formam Saliua cum pituita naturali, ex qua oritur, commu-  
nem habet. Est enim tenuis, fluida, subalba, atq; insipida.

## LV.

Causa efficiens est forma specifica tonsillarum. Vt enim glan-  
dulæ mammillarum propria vi ex sanguine lac, & testes semen ge-  
nerant: Ita etiam tonsillæ facultate peculiari pituitam naturalem  
in saliuam transmutant.

## LVI.

Usus Saliua intra corpus hunc habent, vt linguam ex nimio  
motu arefactam humectet, eamq; ad actiones suas obeundas habilem  
& idoneam reddat. Sunt autem tres præcipuæ actiones lingue. Pri-  
ma est formatio sermonis. Nam sicut γλωττις in larynge est præ-  
cipuum organum vocis: ita lingua in ore est principale instrumen-  
tum orationis. Secunda est discretio saporum. Est enim lingua or-  
ganum gustus, in cuius exteriorem tunicam nerui à tertia coniuga-  
tione neruorum cerebri sensus causa distribuuntur. Tertia, est  
masticatio cibi, quam lingua cibum subinde ad dentes protrudens,  
& saliuam subigens adiuuat.

## LVII.

Extra corpuseducta saliuam peculiarem, tam in σμηφοτικῇ,  
quam ἰεραγωγικῇ medicina parte, usus habet.

Saliua



## LVIII.

*Salina acris, vel amaro, vel acido, vel falso sapore prædita, humores vitiosos in ventriculo collectos esse indicat, à quibus summi ad os & fauces delati salivæ commiscentur, eamq̃, aliena qualitate imbuunt. Eadem quoq̃, vitiosorum humorum in cerebro collectorum est index. Mucus enim salsus, vel acris, à cerebro in palatum destillans & salivæ permixtus illi consimilem saporem communicat.*

## LIX.

*In aphthis puerorum salivæ copia maiorem morbum esse demonstrat. Galenus libro sexto de compositione medicamentorum secundum loca, capite quarto.*

## LX.

*Salivæ natura variat, tum pro varietate animalium, tum pro varia ipsorum constitutione, quatenus nimirum vel sana sunt, vel ægra, vel ieiuna, vel cibo potuq̃, referta. Quemadmodum enim urina, sudores & fel, sic salivæ imbecillior est eorum, qui comedunt atq̃ biberunt. Valida & acris eorum, qui ingenti fame aut siti premuntur, Medium locum occupat eorum, qui & ieiuni sunt, & probe concoxerunt.*

## LXI.

*Salivæ illita puerorum impetigenes exterit: Et furunculos concoquit, si cum tritico commanso imponatur: Et sugillata tollit. Bestiis quoq̃, venenatis hominem occidentibus maximè aduersatur. Galenus libro decimo de simplicium medicamentorum facultatibus*



*tibus. Paulus Aegineta libro septimo de re medica. Aetius tetrabibli primi, sermone secundo, capite centesimo nono. Oribasius libro decimo quinto medicinalium collectorum. Plinius libro septimo naturalis historiae capite secundo, & libro vicesimo octavo capite quarto.*

## LXII.

*Salina, sputum & mucus quatuor potissimum modis à se invicem distinguuntur. Primo materia. Nam materia Salina est pituita naturalis: Sputi nutrimentum pulmonum, mucii nutrimentum cerebri. Secundo subiecto, quia subiectum salinae sunt glandulae duae ad radicem linguae positae: Sputi pulmones: mucii, cerebrum. Tertio usu. Salina enim ad irrigandam linguam à natura est facta, sputum verò & mucus nullum prorsus in corpore usum obtinent. Quarto modo excretionis. Nam salina sputatione simplici: Sputum tussi: mucus partim emunctione per nares, partim excreatione per palatum educitur.*

## FINIS.

## ERRATA TYPOGRAPHICA.

Prior numerus paginam, alter versum significat.

Praefationis pagina 2. versu 10. deducuntur. 5. 2. ego.  
Thesium pagina 10. versu 15. vero. 18. 8. tencharum. 21. 2. hiru-  
dines. 22. 30. radice. 24. 4. tum arthritidem. 25. 14. Cataplasmatibus.  
30. 23. Quod quidem. 33. 5. rumpatur. 47. 9. affluant. 48. 1. ad Ta-  
bias. 49. 14. galli in. 53. 24. Concitant. 57. olibanum. 60. 30. incisa.  
66. 27. natura. 74. 17. explicans. 78. 8. expurgandae. 23. duz ad ra-  
dicem. 24. positae. 79. 30. rariore.







IACOB O SEIDELIO ME-  
DICO, AMICO COLENDO


*Martinus Marstallerus.*

**V**ITAE brevis quod sit, longæ præcepta sed  
artis  
Plurima, Lux Phœbi splendida, Co-  
us ait.

At nunc, SEYDELI, longa vt sit vita, breue artis  
Præceptum; Medicis maxima cura viris.  
Passim coniunctis morbo dum viribus instant,  
Vitæque qua constet longior arte docent;  
Et passim breuibus concludūt dogmata septis,  
Quæ longis veteres proposuere libris.  
Hos inter merito fers tu quoque præmia laudis,  
Ritè explens partes parte in vtraque, tuas.  
Vtq; diu hæc præstes, longam tibi Numina vitā  
Dent precor, & studiis cætera digna tuis.

*Antegredios. V. Id.  
Mart. Anni x c.*





IACOBO SEIDELIO ME-  
DICO AMICO COLENDO


Epistola

ITA hinc quod si longae praesepis sed  
Annus serena vixit vixit brevis annis  
Praesepis hinc maxima cura vixit  
Pars conantes morbo dum vixit instans  
Vixit que dicitur hinc or are docent  
Et hinc in vixit hinc dicitur hinc  
Que longae vixit hinc hinc  
Hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
Hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
Vixit hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
Dicitur hinc hinc hinc hinc hinc hinc



Epistola  
Anno 1700







7.2.74k

Oprac. \_\_\_\_\_

Katalog \_\_\_\_\_

Magazyn 15.2.743

\*KSIEGARNIA\*

ANTYKWARIAT



E 485522

X X





XVI  
8  
80